DE SACRA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI COENA.

DISPUTATIO PRIMA THEOLOGICA ET SCHOLASTICA.

Cujus CC. theſes

PræsIDente ChrIſtI nVMIne

SUB DIRECTIONE

BALTHASARIS MENTZERI,

SS. THEOLOGIÆ D. ET PROFESSORIS ORDINARII IN ILLUSTRI HASSORUM, Quæ Gieſſæ eſt, Academiâ.

Publicè defendet

M. JOANNES CRUGERIUS BERLINENSIS.

In auditorio Theologico XIII. *die Januarii.*

GIESSÆ HASSORUM,
Typis Nicolai Hampelii, Typogr. Academ.

M DC IIX.

42
576
ll. diss. A
01, 25

REVERENDIS, CLARISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS VIRIS, THEOLOGIS CELEBERRIMIS, DE ECCLESIA Christi optimè meritis, & adhuc merentibus,

Dn. D. CHRISTOPHORO PELARGO, illustris Academiæ Francofurtanæ Professori primario, Generali per universam Marchiam Brandeburgicam Superattendenti.

Dn. D. BURCHARDO HARBARTO, in inclytâ Lipsiensi Professori publico, Stipendiatorum Electoralium Ephoro, &c.

Dnn. Præceptoribus, & Promotoribus meis hunc debitæ observantiæ obsidem pono

Joannes Crügerius Berlinensis,
Respondens.

Sächs. Landes-Bibl.

§(:)§

DE SACROSANCTA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI COENA.

DISPUTATIO PRIMA.

THESIS I.

VPer de initiationis ſacramento, hoc eſt, ſacro baptiſmate diſputavimus: ſequitur nunc alterum N. Teſtamenti Sacramentum, SS. D. N. Ieſu Chriſti cœna.

Appellationes S. cœnæ.

2. *Quæ in ſcripturis vocatur* 1. Menſa Domini, 1. *Cor.* 10. *v.* 21. μέλωνυμικῶς *pro cibo, & potu, nempe pane & corpore, itemq; vino & ſanguine Chriſti, in hac mensâ ad edendum & bibendum Chriſtianis ab ipſo Chriſto propoſito.*

3. *II. Appellatur* Cœna Dominica, 1. *Corinth.* 11. *v.* 20. Cœna *quidem ab adjuncto tempore primæ inſtitutionis, Matth.* 26. *v.* 20. 1. *Cor.* 11. *v.* 23. Dominica *verò à cauſâ efficiente, nempe inſtitutore, ſive auctore Ieſu Chriſto* θεανθρώπῳ, *Domino noſtro, & Redemptore unico: cujus verum corpus, & ſanguis cum pane, & vino ad fruendum exhibetur*, 1. *Cor.* 10. *&* 11. *capp. & paſſionis illius, & mortis memoria celebratur, Luc.* 22. *v.* 19. 1. *Cor.* 11. *v.* 24. 25. 26.

4. *III. Ex* 1. *Cor.* 10. *v.* 16. *& Act.* 2. *v.* 42. *deducitur appellatio* κοινωνίας communionis, *communicationis, & communicantium: quia qui hoc ſacramento utuntur, participes redduntur corporis & ſanguinis Chriſti, atq; ſic veniunt in ſocietatem Chriſti, & mutuam inter ſeſe conjunctionem. Damaſc. l.* 4. *c.* 14.

5. *Ab Irenæo & aliis veteribus appellatur* εὐχαριστία (*ex verbo* εὐχαριστήσας, *Matt.* 26. *v.* 27. *Luc.* 22. *v.* 19. 1. *Cor.* 11. *v.* 24.) *à cauſa finali, nempe gratiarum actione, pro beneficio Redemptionis.*

6. *Dicitur etiam* σύναξις, *hoc est, congregatio: quia convenientibus in unum Christianis celebratur* 1. Cor. 11. v. 20. *& est nervus publicorum congressuum, & symbolum mutuæ Christianorum conjunctionis.*

7. *In primitiva Ecclesia vocabant* ἀγάπας, *q.d. sacrum convivium, testificandæ & confirmandæ mutuæ charitatis, & dilectionis gratia institutum. Solebant enim Christiani offerrere munera: ex quibus panis & vinum, quantum satis erat, separabantur ad sacræ cœnæ usum: de reliquis instituebatur convivium. Vestigia quædam hujus exstant* 1. Cor. 10. v. 21. *&* cap. 11. v. 20. 21. 22. *Et in epistola Judæ expressa fit mentio* τῶν ἀγαπῶν v. 12. *vide etiam Tertulliani apologeticum c. 39.*

8. *Per synecdochen generis dicta fuit* λειτουργία, *ministerium sacrum, quam vocem vide Act.* 13. v. 2. *Rom.* 15. v. 16. 2. *Cor.* 9. v. 12. *Philip.* 2. v. 25.

9. *Apud nonnullos usurpata legitur appellatio* sacramenti altaris: *quam D. Lutherus in articulis Smalcaldicis, & catechesi retinuit. Intelligitur autem nomine* altaris *mensa, in qua conferebantur munera Christianorum, de quibus jam dictum est. Unde puerilis error eorum, qui sacrificium Papisticum somniant isto nomine stabiliri. Nam, ut reliqua taceam, relatio non est perpetua inter altare, & sacrificium: ut patet ex Josuæ* 22. v. 26. 27. 28. *& ex Herodoto in Clio p.* 90. *edit. Franc. an.* 94. *vide etiam p.* 793. *Quid? an non etiam in mensa putant posse celebrari Missam?* Usus permaneat verus: tollatur abusus, usus habet laudem, crimen abusus habet.

10. *Reperitur etiam apud antiquissimos scriptores appellatio* sacrificii, hostię, oblationis, holocausti, *pro S. cœna, cujus nominis duplex redditur ratio, prior à muneribus, quæ pii Christiani ad suam erga Deum gratitudinem, & dilectionē erga reliquos Christianos testandam, offerebant: posterior à fine S. cœnæ, nimirum piis ad Deum precibus, & commemoratione, & prædicatione unici illius*

veri

veri sacrificii propiciatorii, in arâ crucis semel pro nobis oblati; Vide Iustin. Martyr. in 2. Apolog. pro Christian. & Augustin. epist. 118. ad Ianuar. cap. 2.

11. *Augustana confessio usitato nomine appellat* missam: *cujus definitionē proponit non ex cisternis scholasticis, sed ex limpidis fontibus divinæ scripturæ. Vnde non favet superstitioni Romanensi, sed retinet in sano sensu antiquam appellationem. Vid. Apolog. Aug. Confess. de vocab. Missæ p. 225. edit. Lipsi. an. 84. Quod enim Græci dicebant* συνάγειν, συνάξεις ποιεῖν, καὶ ἐκκλησιάζειν, *id latini interpretes reddiderunt missas facere seu celebrare, collectas agere, solennia facere: quæ est descriptio* τῶν ἀγαπῶν, *de quibus antè diximus. Vid. Tertullian. lib. de fug. in persecutionib. non procula fine.*

12. *Synecdochica appellatio S. cœnæ extat apud D. Iohann. 1. Epl. 5. v. 8. ubi vocatur*, Sanguis. *Tres sunt, inquit D. Apostolus qui testantur in terra:* Spiritus (*in ministerio Evangelii*) & aqua (*in baptismo*) & sanguis: *in sacra Domini cœna.*

13. *Sunt inter Theologos veteres, & recentiores non pauci, qui cœnam Domini putant vocari fractionem panis, Actor. 2. v. 42. 46, & c. 20. v. 7. Quos ut non reprehendo, tanquam populariter, & extra certamen de hoc negotio locutos: ita constanter affirmo, evidenter, & apodictice demonstrari nō posse, illa phrasi in illis locis oportere notari cœnam Dominicam. Nam fatentur ipsi, qui ita sentiunt, hac phrasi alibi describi communem convictum, Luc. 24. v. 35. Act. 27. v. 35. & eleemosynæ distributionem, Esai. 58. v. 7. Neq; unquam fuit illa appellatio in Ecclesia communi usu recepta, ut cœna Domini diceretur fractio panis: quia nimirum ritus ille frangendi panis, erat apud Iudæos usitatissimus, & quotidianus, qui latis, & minus crassis panibus utebantur, ut non opus esset scissione, sed facilè frangi, & manibus sive digitis in particulas comminui & distribui possent. Hactenus de appellatione.*

14. *Definitionem rei talem proponimus:* Cœna Domini S. cœnæ est 1. actio sacra, 2. à Jesu Christo παραδοθείσῃ paulò ante definitio-

mortem ſolenniter inſtituta: in quâ ipſe 3. per ſuum miniſtrum, 4. cum verò pane, 5. benedicto, 6. fracto & diſtributo, 7. nobis Chriſtianis, 8. ſumentibus, 9. exhibet 10. corpus, ſuum (pro nobis in mortem traditum) 11. manducandum, & cum vino benedicto, & diſtributo ſanguinem ſuum (pro nobis effuſum) bibendum: 12. ad ſui recordationem.

15. *Vis breviorem? Sacra cœna eſt corporis Ieſu Chriſti cum benedicto pane manducatio, & ſanguinis ejuſdem cum benedicto vino bibitio: ad ipſius recordationem.*

I. Genus.

16. *Generis loco ponitur* actio ſacra: *de quo genere diſputatum fuit ſuprà de ſacramentis in genere, ſi malis genus proximum, & immediatum, erit illud:* manducatio, & bibitio: *ſub quo ſimul erit intelligenda ſeparatio, benedictio, & diſtributio. Eſt enim in omni ſacramento* δόσις καὶ λῆψις, *datio & acceptio: quam expreſsè in noſtra definitione ponere voluimus, ut omnia comprehenderemus, quæ in verbis inſtitutionis preponuntur.*

II. Cauſa efficiens principalis.

17. *Quia verò omnis actio ab agente fit, exponitur etiam cauſa efficiens principalis, nempe* autor *& inſtitutor S. cœnæ: qui eſt Ieſus Chriſtus* θεάνθρωπος *& novi Teſtamenti ſponſor, & ſummus noſter ſacerdos, quem cæleſti voce Deus pater nobis unicè audiendum commendavit. Matt. 17. v. 5.*

18. *Præſes igitur & diſpenſator divini hujus convivii eſt* " *Chriſtus ſecundum utramq; naturam. Quod benè notandum illis e-* " *rit, qui humanitatem Chriſti ab hoc ſacramento longiſſimè relegantes, cælo eam capi dictitant, corrumpentes egregium dictum Apoſtoli, Act. 3. v. 21. quod certum eſt de gloria Chriſti exponi oportere, nõ de infirmitate.*

Conſidera auctorem, & tolle dubitationem.

19. *Cumq; Chriſtus ſit verax, & omnipotens Dominus, qui ſuo verbo hoc ſacramentum inſtituit: nefas eſt, & ſacrilegum, argumentis philoſophicis, vel potius ſophiſticis ex philoſophiæ circulo in alienum forum violentè detractis, impugnare divinum hoc myſterium: quaſi non poſſit ipſo facto præſtare Chriſtus, quod de corpore & ſanguine ſuo hic diſpoſuit, & ordinavit.* 20.

20. *Qua brevissima methodo omnia argumenta eliduntur, quæ concludunt* non posse *corpus & sanguinem Christi in his terris esse verè præsentia, & cũ pane & vino à nobis manducari & bibi.*

21. *Tota enim & sola quæstio hic est* de voluntate Christi cœnam hanc instituentis: *quæ nisi ex ipsius verbis cognosci non potest. Impium autem est, & blasphemum, derogare Christo virtutem perficiendi ea, quæ ipse sancto suo verbo ordinavit.*

22. *Quæ de temporis circumstantia adduntur, quod* paulò ante mortem suam *Christus sacram hanc actionem instituit, eò pertinent, ut cogitemus, quæ hic dicta, & facta sunt, omnia esse seria, gravia, & ardua, & diligentissimè à nobis observanda, & ponderanda: qualia esse solent, quæ à piis & sapientibus paulò pòst morituris aguntur, & præcipiuntur.* Tempus institutæ S. cœnæ.

23. *Vbi* ordo *etiam nobis considerandus venit. Nam antequam S. cœnam institueret Christus, ultimum pascha celebravit cum suis discipulis, clausurus vetus Testamentum: Ac proinde in cœna sua expressè vocat sanguinem* suum novi *testamenti: luculentissimo notato discrimine inter testamentum Vetus, & Novum: de quo disputatione superiore proxima egimus.* Ratio ordinis.

24. *Vmbræ igitur & figuræ V. Testamenti propriæ nunc planè sublatæ sunt: in quarum locum ipsum Christi corpus, ipsa viva, vera, & solida imago successit. Colos. 2. v. 17. Hebr. 10. v. 1.*

25. *Quod argumentum quàm sit efficax ad refellendam metonymiam sacramentariam Calvinistarum, res ipsa edocet.*

26. Locus institutæ cœnæ *fuit urbs Hierosolymorum.* Locus. *Celebrata autem fuit non in templo, quod destinatum erat cultui Levitico, & erat figura Christi: nec in Synagoga: sed in diversorio. Vbi nihil audis de altari consecrato, aliisq; Romanensibus ceremoniis: sed omnia aguntur sine pompa missatica, summa simplicitate.*

27. Tempus, *à quo nomen cœnæ fluxit, fuit* nocturnum. *Quæ circumstantiæ loci & temporis sunt ab ipsa cœnæ substantia discernendæ: in quibus regnat Christiana libertas; cuius hæc regula est, ut omnia fiant bono ordine, & ad ædificationem.* 28.

28. Solenniter *hanc cœnam Christus instituit: ut meminerimus, nobis etiam magna reverentia, & devotione illam celebrandam esse.*

III. Causa ministrans.

29. *Cum efficiente causa principali Christo, connectitur* causa instrumentalis: *Minister Ecclesiæ. Quanquã enim Christus primam cœnam ipse immediatè dispensavit suis Apostolis, sicut etiam ipse docuit Evangelium: tamen postea visum ipsi fuit, uti opera pastorum Ecclesiæ in hoc epulo adornando.*

30. *Vbi repetimus regulam:* In ministerio Evangelii & Sacramentorum, causam principem, & instrumentalem subordinari, & arctè cohærere.

31. *Graviter igitur peccant, qui panem quidem & vinum ab Ecclesiæ ministro in terris dispensari asserũt, corpus autem & sanguinem in cœlis ab ipso Christo. Pro eo, quod nos piè ex scriptura dicimus: Christum ipsum per suum ministrum cum pane corpus suum manducandum, & cum vino sanguinem suum bibendum nobis distribuere, & dare.*

9. Exhibet.

32. *Atq; huc pertinet verbum* exhibendi: *quod Christo principaliter, ministro verò instrumentaliter competit. Quo significatur non sola præbitio sive* δόσις, *sine* λήψει, *sed ideò additur:* ad manducandum & bibendum: *ut notetur simul etiam* λήψις *sive sumptio, quæ consistit in manducando & bibendo. Quod notandum contra insidias Calvinistarum, quas in eo verbo occultare solent.*

11. Ad mãducandum & bibendum.

33. *Vbi commendamus* ἀκρίβειαν *Apologiæ Augustanæ Confessionis, quæ disertè affirmat. I.* Verè, & substantialiter in cœna adesse corpus, & sanguinem Christi. II. Verè exhiberi cum pane & vino, III. His qui sacramentum accipiunt. IV. Ac proinde panem esse participationem corporis Christi.

IV. Materia sive subjectum.

34. *Sequitur in definitione* subjectum, *seu* materia *circa quam Sacramentalis hæc actio occupatur. Quæ* res gemina *sive duplex est:* una terrena, altera cœlestis: *juxta celebre dictum Irenæi*

Irenæi l. 4. c. 34. Terrena *est symbolum, sive elementum externum: Verum panis, & verum vinum*: cœlestis *est verum corpus, & sanguis Domini. Quæ res, terrena & cœlestis, sunt sacramentaliter unitæ, per verbum Christi hoc sacramentum instituentis: ut pane hoc accepto, & manducato, ipsum Christi corpus accipiatur & manducetur, haustoq; hoc vino, ipse Christi sanguis bibatur. De his igitur ordine nobis differendum est.*

35. Panis *igitur verus in sacra cœna requiritur, nempe qui ex farina frumentacea, & aqua subactis, virtute ignis pinsitur, ut sit cibus homini idoneus. De variis panis generibus vide, si libet Plin. l.* 18. *c.* 11. *Eodemq; modo* vinum *naturale, & verum quod ex uvis expressum est, nempe genimen, sive fructus vitis, ut Christus ipse definit, Matt.* 26. *v.* 29. *Luc.* 22. *v.* 18. Panis. Vinum.

36. *Non igitur cum illis facimus, qui analogicum panem & vinum adhiberi posse putant: quos cum institutione Christi pugnare, nobis certum est, æquè atq; Artotyritas. de quibus legi potest Philastrius p.* 58. *edit. Basil. an.* 39. *& August. tom.* 6. *de hæresib. ad Quod-Vult-Deum: & Gratianus de consecrat. dist.* 2. *c.* 7.

37. *Neq; vini cum aqua mixtionem, quantumvis ab antiquitate graviter commendatam, & pulcherrimis (quales multis videntur) analogiis illustratam, admittimus; de qua nullum in verbis institutionis apparet vestigium.*

38. *Nec interest, sitne panis fermentatus an azymus, rotundus, an oblongus, aliáve forma factus, magnus, an par[illegible] tritico vel alio frumenti, ex quo panis pinsi solet, genere constans: dummodò verus sit panis, cui definitio panis conveniat. Accidentia enim ipsam panis essentiam non mutant. Idemq; de vino judicium est, sive sit album, sive rubrum, nihil refert: modò sit nativum, nempe ex uvis expressum, & genimen vitis, ut disertè Christus appellat, Matt.* 26. *v.* 29. *Luc.* 22. 18.

39. *Controversiam igitur Græcorum, & Latinorum de hac re nos dirimimus hac Augustini regula, in epist.* 118. *ad Ianuar.*

„ *Totum hoc genus, inquit ille, habet liberas observationes, nec disci-*
„ *plina ulla est in his melior gravi prudentiq; Christiano, quàm ut eo*
„ *modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunq; fortè devene-*
„ *rit. Quod enim neq; contra fidem, neq; contra bonos mores injungi-*
„ *tur (alii legunt: convincitur) indifferenter est habendum, & pro eo-*
„ *rum, intra quos vivitur, societate servandum est.*

40. *Supercilium igitur eorum, qui fermentato pane nobis utendum censent, eumq; præferunt non fermentato, meritò displicet cordatis Theologis.*

41. *Neq; minus illi reprehendendi sunt, qui parvulos rotundos panes, sive placentulas, tanquam Papisticos rejiciunt; quorum argumenta talia tantaq; sunt, ut pueris, quàm eruditis Theologis digniora videri rectè possint.*

10. Corpus & sanguis Christi.

42. Res cœlestis *in sacra cœna secundum verba institutionis est* verum corpus & sanguis Christi: *Illud ipsum, inquam, corpus, quod pro nobis est traditum, & ille ipse sanguis, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum. Sic enim ipse Christus:* Edite, *inquit*, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Bibite, hoc est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. *Confer etiam* 1. *Cor.* 10. *v.* 16.

43. *Vbi nota, nomine* poculi, τῦ ποτηρίυ, *notari poculum, quod actu potum continet. Inde enim* ποτήριον *dicitur, quasi* πόσιν τηρῶν: *cum potus tanquam res liquida difficulter terminis propriis con-*
[redacted] *dari nõ possit, nisi vasi, sive poculo inclusus. Porrò spe-*
„ *cies* τῆς πόσεως *exprimitur à Christo, nominante* τὸ γέννημα τῆς ἀμπέλυ *genimen vitis, Matt.* 26. *v.* 29. *Luc.* 22. *v.* 18.

44. *Apponimus hunc syllogismum: Corpus Christi pertinet ad sacram cœnam (quod fatentur omnes) vel ut pars essentialis cibi illius, & potus, vel ut causa externa. Posterius non dicunt ipsi adversarii, neq; veritas patitur: Ergò prius verum est. Atq; hanc sententiam approbat universa vetus Orthodoxa Ecclesia. Et, quod diligenter observandum est, ipsi Calviniani hodiè videri volunt hanc*

NB.

ipsam

ipsam sententiam tueri: quæ tamen consistere cum metonymia ipsorum sacramentaria tàm non potest, quàm cum tenebris sol, & Christus cum Belial, quemadmodum in sequẽte disputatione Deo clementer adjuvante, διαῤῥήδην *demonstrabimus.*

45. *Singulari igitur studio notamus luculentissimam descriptionem ipsius Christi:* Hoc, *inquit (quod ego vobis exhibeo, vosq; manducare jubeo)* est *(verissimè)* corpus *(non vituli Levitici, non agni paschalis Iudaici: neq; communis alicujus hominis, sed)* Meum *(ipsius filii Dei proprium corpus, quod assumpsi in personæ meæ unitatem, illud ipsum inquam corpus)* quod pro vobis traditur, sive frangitur. *Eodemq; modo sanguinem suum describit Christus, I. Quod sit* sanguis verus: *sicut etiam in V. T. verus sanguis fuit, sed brutorum animalium, II.* Sanguis meus, *inquit Christus: non agni paschalis Iudaici, vel animalis ritu Mosaico sacrificati, sed meus, filii Dei proprius. III.* Novi Testamenti, *non veteris. Figura enim illius in V. T. erat, in novo autem ipsum verum corpus est, & verus sanguis ipsius Christi.*

46. *Quàm infeliciter hic digladientur Zuingliani, & Calvinistæ tropis suis:* Est *pro significat,* corpus *pro signo corporis, vel figura, vel virtute vel efficacia corporis, &c. sequens docebit disputatio.*

47. *Et ineptiæ eorum plus quàm pueriles abjiciendæ sunt, qui ex:* Quod: *faciunt:* Quale, *salium facientes ex substantiæ prædicamento in qualitatem: vel* Quod *per* Quatenus *explicantes: addito argumento (Sophistico) quia alioqui secuturum sit, Christum habuisse duo corpora, quorum alterum sit pro nobis traditum, alterũ non traditum. Quod planè ridiculum est, nam particula* Quod *non est distributiva, sed definitiva, notans veritatem corporis, non multiplicationem.*

48. *Et graves causæ sunt, cur passionis, sive mortis suæ mentionem expressam facere Christus voluerit. Sic enim deducimur ad considerationem immensæ dilectionis Christi erga nos, & beneficio-*

rum, quæ morte ſua nobis acquiſivit. Unde dependet finis, & fructus ſacri hujus convivii. *Oſtendit igitur Chriſtus verbis illis complementum ſacrificiorum V. T. & imprimis etiam agni paſchalis, in ſua paſſione & morte. Et quia in V. T. ex ſacrificiis cõvivia inſtituebantur: quod diligenter notavit D. Paul. 1. Cor. 10. v. 18. Item ḡ agnus paſchalis, antequam comẽderetur, mactabatur, & præparabatur certo ritu, Exod. 12. v. 6. & ſeqq. ideò affirmat Chriſtus, ſe tanquam victimam in arâ crucis offerendum Deo, ut ipſius corpore nos veſcamur.*

49. *Eodem ḡ modo de ſanguine dicitur, quod effuſus ſit in remiſſionem peccatorum. Vbi notãda comparatio propoſitionis Chriſti & Moſis Exod. 24. v. 8. quæ repetitur, Hebr. 9. v. 20 Hic eſt ſanguis fœderis,* τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης.

Officium panis & vini in S. cœna.

50. *Ex dictis patet,* officium ſacramentale panis, & vini *in ſacra cœna eſſe, non ut inſerviat fami & ſiti ſedandæ, & reficiendæ & confirmandæ vitæ corporali (qui finis eſt communis epuli: neq; in prima cœna locum habebat, quia jam erant cœnati Apoſtoli: ac proinde D. Paulus: Si quis eſurit, inquit, domi manducet, 1. Corint. 11. verſ. ult.) ſed* ut per verbum Chriſti à communi uſu, panis hic, & hoc vinum ſeparatus, & ſanctificatus, atq; deſtinatus, ad uſum ſublimiorem & ſacrum, inſerviat diſtributioni, & perceptioni corporis & ſanguinis Chriſti: *juxta verba inſtitutionis, Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. & D. Paul. 1. Cor. 10. v. 16. & c. 11. Hoc eſt, ut breviſſimè dicam, panis & vinum in cœna per verbum Chriſti ſanctificantur & benedicuntur, ut ſint media, organa, & inſtrumenta diſtribuendi & percipiendi corporis & ſanguinis Chriſti.*

51. *Evertitur ergò error Calviniſtarum, ſymbolis illis externis in ſacra cœna attribuentium officium ſignificandi, & adumbrandi corporis & ſanguinis Chriſti: unde enaſcitur analogia & ratio ſacramentalis, ab ipſis tantoperè commendata. Cui hoc loco (alibi enim ex profeſſo oppugnanda, & expugnanda erit) oppono ſequentem Syllogiſmum:*

52. *Quicquid convenire potest cuilibet pani, & vino, etiam extra sacræ cœnæ usum, illud non est officium sacramentale hujus panis & vini, qui est verbo Christi à communi usu separatus, & sanctificatus ad usum peculiarem, atque sacrum. Atqui nutrire corpus, sedare famem, & sitim, & exhilarare cor, cuilibet pani, & vino, etiã extra cœnæ sanctæ usum convenire potest, ut constat. Ergò nutrire corpus, sedare famem & sitim, & exhilarare cor, non est officium sacramentale hujus panis & vini, qui est verbo Christi à communi usu separatus, & sanctificatus ad usum peculiarem, atq; sacrum.*

53. *Vis breviorem syllogismum?* Facultas naturalis nõ est officium sacramentale, *ut liquet; Sedare famem & sitim, nutrire corpus, exhilarare cor, est facultas naturalis panis & vini, ut constat, Ergò sedare famem, & sitim, nutrire corpus, & exhilarare cor, non est officium sacramentale.*

54. *Vbi nunc stabit analogia Calviniana? Sicut panis & vinum conservat vitam hominis, & pellunt famem, & sitim, &c. Ita corpus & sanguis Christi reficiunt animam, &c.*

55. *Nam in θεσει proponitur non officium panis & vini sacramentale, sed facultas naturalis, cuilibet pani, & vino extra cœnam sanctam communis. Quem errorem longè maximum utinam tandem aliquando agnoscerent, & abjicerent adversarii, de quo suo tempore & loco plura dicenda erunt.*

56. *Cæterum res illæ, terrena & cœlestis* sacramentali unione *per verbum Christi copulantur, & connectuntur. Non enim sivé panis, sive corpus Christi absolutè, sive seorsum in cœna manducatur, neq; vinum aut sanguis Christi separatim bibitur: sed uno, eodemq; actu sacramentali panis simul & corpus manducantur, & vinum simul, & sanguis bibuntur, quatenus nimirum sunt unum sacramentum, sive sacramentaliter per verbum Christi unita.*

57. *Hæc igitur unio in S. cœna nobis explicanda est, non ex generali quadam unionis definitione, qualem fingunt Calviniani in relativâ significatione, & repræsentatione: sed ex ipsa institutione*

Unio sacramentalis.

sacræ Domini cœnæ; quæ propria sedes est totius hujus doctrinæ.

58. *Quare* unio sacramentalis *in cœna inter panem & corpus Christi judicanda & definienda est ex his Christi & Pauli verbis:* Edite: Hoc est corpus meum: *Et:* Panis quem frangimus, est communicatio corporis Christi. *Idem de unione vini & sanguinis judicium.*

59. *Vnde nos hanc formamus definitionem:* Unio sacramentalis in sacrâ cœnâ est copulatio, sive conjunctio panis, & corporis Christi, itemq; vini, & sanguinis Christi verbo veracis, & omnipotentis Christi facta, ut sit unum sacramentum, & pane hoc manducato verè etiam manducetur corpus Christi, & hausto hoc vino, verè etiam bibatur sanguis Christi.

60. *Sicut enim in Christo unio est duarum naturarum* personalis, *unde unum est* ὑφισάμενον: *ita unio* sacramentalis *in cœna est rei terrenæ & cœlestis copulatio, unde unum est sacramentum.*

61. *Et vocatur hæc unio sacramentalis, mystica arcana, divina, & interdum etiam spiritualis.*

62. Sacramentalis: *quia per unionem illam unum fit sacramentum.*

63. Mystica, & arcana: *quia sensibus, & rationi humanæ non patet.*

64. Divina: *quia à Deo instituta est, & divina virtute perficitur.*

65. *Denig;* Spiritualis (*lata significatione*) *quia neq; naturalis est, neq; comprehendi potest nostro sensu, aut cogitatione.*

66. *Vbi tamen observandum, constans manere discrimen inter manducationem* merè spiritualem, *quæ solius fidei est, &* sacramentalem, *quæ fundatur in verbis Christi,* Edite, bibite, &c. *ut postea ostendemus.*

67. *Fallunt enim & falluntur, qui spiritualem unionem in cœna dici existimant propter instrumentum perceptionis: quia scilicet*

sola

ſola fide, non ore corporis, percipiatur corpus & ſanguis Chriſti: non enim ea eſt inter fidem, & corpus Chriſti, ſed inter rem terrenam, & cœleſtem.

68. *Huc igitur pertinent locutiones illæ in Eccleſia uſurpatæ, quod caro Chriſti dicatur* formâ panis operta, *accipi*, latêre, *& ſumi ſub* myſterio, *ſub* ſpecie *panis*, myſticè *manducari*, *panem eſſe* typum, figuram, ſignum, ſpeciem, *(non vacuam ſubſtantia, ſed ſolidam)* imaginem, monumentum *corporis Chriſti*, *(non in ſupremo cœlo à nobis abſentis, ſed verè præſentis)* aliud exterius oſtentari, aliud interius præſentari, *&c. Sic D. Lutherus canit:* Gab er vns ſeinen Leib zu eſſen/ verborgen *(myſticè, ſacramentaliter, modo arcano)* im Brot ſo klein: *quæ eſt deſcriptio myſticæ, & arcanæ unionis panis & corporis Chriſti, non deliteſcentiæ localis, ſive incluſionis corpuſculi ſub pane, ut multi calumniantur.*

69. *Hæc illa eſt* unio myſtica, *qua res gemina, terrena & cæleſtis*, ſervata ſubſtantiæ ſuæ ſive eſſentiæ veritate, *in hac ſolenni, & divina actione, per verbum Chriſti, modo arcano, unitæ & copulatæ, conſtituunt unum ſacramentum: ac proinde etiam à nobis non diviſim, ſive ſeparatim, ſed unitè, & conjunctim percipiuntur.*

70. *Hinc igitur judicium faciendum eſt de* propoſitionibus ſacramentalibus, *ex unione illa deſumptis*: panis eſt corpus Chriſti, vinum eſt ſanguis Chriſti, *Quæ etſi in divinis ſcripturis non exſtant, uſurpatæ tamen ſunt à præſtantibus Eccleſiæ Doctoribus. Quæritur igitur de vero illarum ſenſu, & expoſitione.* Propoſitiones ſacramentales.

71. *Vbi primum obſervamus illud, nõ ibi prædicari unam ſubſtantiam, ſive eſſentiam de altera, nempe ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, de ſubſtantia panis & vini: qui error uti nonnullis vulgaris factus, ita eſt, craſſiſſimus. Nã eo ſenſu potius dicendum eſt Panis non eſt corpus Chriſti: Et corpus Chriſti non eſt panis: Sunt enim revera diſtincta, & unum non fit alterum, & retinetur in utroq; eſſentiæ veritas: ſicut in illa: Humanitas non eſt Deitas.*

72. *Sed est illa propositio sacramentalis: sacramentaliter igitur explicanda, nempe pro modo, & ratione unionis sacramentalis,*
» *in ipso sacramenti usu, Hoc sensu: Panis ille benedictus, quando se-*
» *cundum Christi institutionem manducatur, est corpus Christi, vide-*
» *licet sacramentaliter, hoc est, corpus Christi ei unitum est, & cum eo*
» *simul manducatur. Planè sicut dicit Apostolus: Panis quem frangi-*
mus est κοινωνία corporis Christi. Vnde hæc oritur propositio: Fractio (distributio) panis est communicatio corporis. Prædicatur igitur cor-
» *pus Christi de pane non absolutè, neq; essentialiter, sed sacramentali-*
» *ter, in ipso sacramẽti usu, qui consistit in actione, peculiari verbo Chri-*
sti determinata.

73. *Propositionis illius sic explicatæ apparet exquisita confirmitas cum propositione Christi:* Edite, hoc est, corpus meum. *Vbi demonstrativa particula* Hoc: *ostendit panem, sed non solum.*

74. *Panem ostendit, quem antea expressè testantur Evangelistæ à Christo acceptum & benedictum fuisse: & quem Paulus dicit edi. Alioqui corpus Christi hic ederetur immediatè: & periret sacramenti ratio: & particula demonstrans non verè demonstraret. Nec objicies, menti demonstrari corpus Christi. Nunc enim sermo est de sacramento: in quo res gemina est.*

Hoc. 75. *Quare affirmandum est, particulam* Hoc *demonstrare per se, & primò panem sanctificatum: per & propter unionem au-*
NB. *tem sacramentalem ipsum Christi corpus, quod tanquam principale in prædicato expressè nominatur: cui distribuendo, & manducando hic panis, tanquam medium sive organum inservit.*

Synecdoche D. Lutheri. 76. *Atq; hæc est,* synecdoche illa D. Lutheri *(non tropus Rhetoricus, quo pars pro toto ponitur, vel contrà, sed) comprehensio, sive complexus duarum rerum unitarum, sive conjunctarum,*
» *quarum, quæ præcipua est, & externis sensibus non patet, expressè no-*
» *minatur.*

77. *Quod loquendi genus est usitatissimum, in omni linguarum & hominum genere.*

78 Ri-

78. *Ridiculi igitur sunt, qui nobis affingunt talem illius propositionis analysin: Hoc est corpus meum, id est: Hic panis, & corpus meum, est corpus meum, Quidni eodem modo etiam dicunt? Hoc est sanguis meus: id est: Hoc poculum & vinum in poculo, & sanguis meus est sanguis meus?*

79. *Qui si doceri se patiantur, attentè considerent, alium esse loquendi modum de rebus unitis, qua unitæ sunt, alium de iisdem, quæ distinctæ sunt.*

80. *Visa columba, Ioh. 1. v. 31. Luc. 3. v. 22. verè dico: Hoc est Spiritus S. Et monstratis hydriis Ioh. 2. v. 7. verè affirmo: Hoc est vinum, quod ex aqua fecit Christus: ostenso viro, Iud. 13. v. 6. verè dico: Hic est angelus, &c. Neq; tamen inepties, ut dicas: Hæc columba & Spiritus S. est S. S. Hæ hydriæ & vinum in illis, est vinum, &c, Monstratur enim totum complexum. Ac proinde particula demonstrativa est exponenda pro ratione factæ unionis. Nam propter unionem illam sermo ita temperatur, atq; si res esset una tantùm, non gemina.* NB.

81. *Quod ut fiat quàm clarissimum, accedamus ad hydrias in nuptiis, quæ vino erant repletæ. Ostensa ibi hydria, verè dico: Hoc est vinum illud generosissimum quod Christus ex aqua fecit. Vbi pronomen* Hoc *fundatur in unione hydriæ & vini, quæ duo non distinguit, sed simul complectitur, tanquam rem unam, q. d. Hoc quod ego tibi, ostendo, quod tu ibi vides, est vinum illud generosissimum, &c. Quod si hydria vacua sit, cessat unio, & proinde propositio est falsa, Itemq; si distinctè de vino, & de hydria loqui velis: dicendum est: hydria non est vinum: vinum non est hydria: aliud est vinum aliud est hydria.*

82. *Applicemus:* Hoc est corpus meum, *inquit Christus. Vera est propositio per & propter unionem sacramentalem, in qua fundatur. Quare vox* Hoc *intelligitur secundum illam ipsam unionem, in qua est panis & corpus Domini: quæ duo quia sacramentaliter unita sunt, dicuntur unum sacramentum: ac proinde dato &*

accepto illo pane, verissimè dicitur dari & accipi corpus Domini.

83. *Et nihilominus tamen manet distinctio panis & corporis Christi essentialis: ut verum sit: panem non esse ipsum corpus, & corpus non esse panem: & aliud esse panem in sua essentia, & aliud Christi corpus in sua essentia.*

84. *Illustratio sumi potest etiam ex propositionibus personalibus de Christo. Quia enim persona una est, essentiæ duæ, aliter de his, aliter de illa loquimur. Hic est filius ille meus dilectus, inquit Deus Pater de Christo Matt. 3. v. 17. c. 17. v. 5. quæ propositio personæ notat unitatem. Et verissimum tamen est, humanitatem non esse*
" *deitatem, & contrà: Hoc est, Abstracta non prædicantur de se invi-*
" *cem, sed concreta naturarum. Cujus rei ratio est ipsa unio personalis.*

85. *Quare sicut propositiones personales accipiuntur, & explicantur, pro ratione & modo unionis personalis: Sic etiam propositiones sacramentales ex unione sacramentali, & secundum illam exponi debent.*

86. *In quibus qui dicunt prædicari dissaratum de dissarato, ac proinde ad tropum confugiunt, refutantur ab ipso Keckermanno. Et semper tenemus discrimen inter propositionem Christi: Hoc est corpus meum: Et illam alteram: panis est corpus Christi.*

87. *Objicit hic quidam nobis geminum D. Lutheri testimonium, quod particula* Hoc *ostendat non corpus Christi, sed panem.*

88. *Cui respondeo, dici ea κατάχρησιν non ἀπλῶς, Oppugnat ibi Lutherus Carlostadianum τρόπον, & Papisticam μετουσίωσιν. Rectè igitur dicit: τὸ* Hoc *non monstrat corpus Christi, nempe immediatè, ut Carlostadius volebat, quasi Christus digito indice monstrasset suum corpus in mensa sedens: Vel per transsubstantiationem, sive substantialem mutationem panis in corpus Christi, ut Papistæ volunt. Erro-*
Hoc poculum est N. T. in meo sanguine.
ribus autem his rejectis, docet nobiscum D. Lutherus constanter, pronomen Hoc *ostendere totum complexum, ut antè exposuimus.*

89. *Quæritur hic sigillatim de propositione apud S. Lucam & Paulum:* Hoc poculum est Novum Testamentum in meo sangui-

ſanguine, *Vbi Calviniani putant ſe reperiſſe magnum argumentũ tropi ſui ſacramentarii, ſed errant toto cælo. Sive enim* τὸ in *meo ſanguine, exponas* per *ſanguinem, ſive* propter *ſanguinem meum: ſententia verborum Chriſti clariſſima eſt.*

90. *Non autem debet mutilari propoſitio Chriſti, ſed integra proponi, tum enim parit nobis hunc ſenſum: Poculum hoc benedictum (quandobibitur, veriſſimè eſt) Novum Teſtamentum in ſanguine Chriſti.*

91. *Nam Teſtamentum illud Novum ſancitur inter Deum & homines: Idq; non ſanguine ſacrificiorum Leviticorum (hoc eſt, figuris, ſive umbris V. T. propriis) ſed ipſo ſanguine Chriſti. Qui quidem ſanguis Chriſti in ara crucis fuit effuſus: atq; hoc modo ſancitum & confirmatum eſt Novum T.* reſpectu Dei: *ut rectè, & verè dicas: effuſio ſanguinis Chriſti in cruce eſt N. Teſtam: ſubintellige* ex parte *Dei. Idem Chriſti ſanguis nobis exhibetur bibendus in poculo ſacræ cœnæ, ut* ex noſtra parte *etiam N. Teſtam. confirmetur, hoc eſt, nobis applicetur, & obſignetur.*

92. *Ac proinde rectè, & verè dicitur: Hoc poculum juxta Chriſti inſtitutum à nobis hauſtum eſt N. Teſtam. in ſanguine Chriſti, ſive per, & propter ſanguinem Chriſti: Aut ſi clarius velis: Sanguinis Chriſti ex hoc poculo bibitio eſt N. Teſtamentum.*

93. *Ita nimirum* ſanguinis Chriſti effuſio in cruce eſt N. Teſt. reſpectu Dei: ſanguinis Chriſti bibitio ex poculo in S. cœna eſt N. Teſt. reſpectu noſtri.

94. *Hanc expoſitionem eſſe veriſſimam, demonſtro ex collatione cum V. Teſt. Nam, Exod. 24. v. 6. & ſeqq. explicatur Teſtamentum inter Deum, & populum: quod ſic ſancitum fuit & confirmatum, ut ſanguis vitulorum, & hircorum ſparſus fuerit ſuper altare (ſic ſanguis Chriſti eſt effuſus in ara crucis) & deinde etiam ſanguine aſperſus fuerit populus: Ita nimirum ſanguis Chriſti nobis exhibetur bibendus in ſacra cœna.*

95. *Et hinc diſcitur apud Matth. & Marc. dici ſanguinem*

Christi Novi Test *non tantùm, quia sit novi test. proprius, & distinctus à sanguine V. Testamenti: sed inprimis etiam propter applicationem: quia sanguinis illius bibitione, respectu nostri, confirmatur, & nobis obsignatur Novum Testamentum.*

96. *Id quod ex Calvinianis nonnulli agnoscunt, qui fatentur plenius quiddam significari, cum dicitur: Sanguis est Novum Testamentum, quàm sanguis N. Testamenti.*

97. *Et apertè scribit Hyperius sup.* 1. *Cor.* 11. Sanguinem Christi sub specie vini nobis exhiberi in poculo: Et sanguinem illum nobis esse confirmationem, & certitudinem de Testamento Dei, & pacto nobiscum.

98. *Objicit hic adversarius quidam: Novum Testamentum est remissio peccatorum. Poculum S. cœnæ non est remissio peccatorum. Ergo poculum S. cœnæ non est N. Testamentum.*

99. R. *Conclusio directè negat id, quod Christus perspicuè affirmat. Vera igitur non est, sed falsa. Error autem est in propositione quæ non rectè definit Novum Testamentum. Corrigenda igitur hoc modo:* Novum Testamentum est pactum quoddam divinum de remissione peccatorum propter Christum. *Nunc assume de poculo sacræ cœnæ ex thesibus superioribus, & conclusio erit proba, hoc est, conformis verbis Christi.*

100. *Nullus igitur hic tropus sacramentarius, adeoq; ne quidem in voce* poculi, *pro vino, Nam Christus jubet bibere* ex *poculo; nemo vero dicitur bibere ex vino.*

101. *Neq; poculum hic consideratur in prædicamento substantiæ, vel respectu suæ materiæ, ex qua constat: sed in usu suo, seu officio proprio, nempe sacramentali: quatenus nimirum secundum Christi institutionem bibitur.*

102. *Quemadmodum igitur circumcisio verè & propriè vocatur pactum cum Deo: Et Baptismus verè, & propriè dicitur lavacrum regenerationis: ita etiam poculum hoc sacramentale in usu suo & officio proprio, nempe quando in sacra cœna bibitur verè, & propriè*

propriè, hoc est, sine ulla metonymia sacramentaria, vocatur & est Novum Testam. in sanguine Christi.

103. *Atq; sic optimè in omnibus concordant tres illæ propositiones.* 1. Hoc est sanguis meus, *inquit Christus*, novi Testamenti, 2. Hoc poculum est N. Test. in meo sanguine, 3. *Et Pauli*: Poculum benedictionis, quod benedicimus est κοινωνία sanguinis Christi.

104. *His ita expositis, formamus nunc talem syllogismum:* "
Quicquid propriè loquendo manducatur & bibitur: illud est sub- "
stantia, non accidens: Corpus & sanguis Christi, secundum verba in- "
stitutionis, propriè loquendo, editur, & bibitur. Quare corpus & san-
guis Christi ibi notant veram substantiam, non autem accidens. Ex-
spirat igitur tropus sacramentarius.

105. De forma sacræ Domini cœnæ *nunc differendum est: quæ est solennis illa, certa, & Dei verbo determinata actio, circa materiam sacramenti hujus propriam.* S. Cœnæ forma. 5. 6. &c.

106. *Quæ actio consistit in* δόσει καὶ λήψει, *datione & sumptione, quarum illa dispensatoris propria est, hæc communicantis, sive sacramentum sumentis.*

107. Actio dispensatoris *spectatur I. In* separatione *hujus panis & vini à quovis alio communi pane & vino, qua destinatur ad usum sacramentalem. Hic actus in descriptione primæ cœnæ exprimitur per verbum* Accepit. *II. In* benedictione sive consecratione *hujus panis & vini separati: qua per Christi verbum peculiare sanctificatur & benedicitur, ut sit panis & vinum sacramentale, vel ut D. Paul. ait, ut sit κοινωνία corporis & sanguinis Christi. Hic actus exprimitur per verbum* εὐλογήσας καὶ εὐχαριστήσας benedixit, gratias egit. *Quo notatur divina benedictio conjuncta cum peculiari virtute, & efficacia. Confer Matt. 14. v. 19. Marc. 6. v. 41. Luc. 9. v. 16. III. In* distributione, *qua benedictus ille panis & vinum distribuitur, sive datur communicantibus: qui in prima cœna erant duodecim Apostoli. Hic actus exprimitur per verbum:* de- Actus sacramentales dispensatoris.

dit

dit *apud Evangelistas: apud D. Paulum verò per verbum* fregit *in priori parte de pane. Nam in posteriori parte de vino Apostolus ille* 1. *Cor.* 11. *nullos actus sacramentales dispensatoris exprimit: innuens eosdem repetendos ex priori.*

NB. De fractione panis.

108. *Objicit Calvinista, omitti hic à nobis* fractionem panis, *quæ disertè ab Evangelistis exprimitur.*

109. R. *Fractio panis* per se *non est actus principalis sacramentalis (alioqui sine eo cœna esse planè non posset) sed est ministerialis, nimirum inserviens distributioni. Vnde in definitione sub uno membro & numero comprehendimus, fractionẽ & distributionem.*

110. *Quæ sententia certis argumentis demonstranda est, quæ satisfacere conscientiis, & modestis ingeniis possint. Primum igitur* fractionem panis fieri propter distributionem, *eiq; inservire, evidens est ex verbis Evangelistarum:* Fregit, & dedit: *neq; id negare possunt Calviniani. Non est igitur actus principalis, sed ministerialis.*

111. *Deinde D. Paulus solius meminit fractionis, sine additione aliâ. Quare certum est, ipsum intelligere distributionem. Quomodo verbum etiam illud usurpatur Marc.* 8. *v.* 19. *Confer Ioh.* 6. *v.* 11. *Nam* fractio sola, *hoc est, benedicti panis in partes comminutio* sine distributione non potest dici κοινωνία corporis Christi.

» Κοινωνία *enim notat applicationem: Vnde Apologia August. Confess.*
» *reddidit per participationem. Quod argumentum observatione di-*
» *gnum judicamus.*

112. *Præterea in secunda parte cœnæ nullus actus ponitur, qui respondeat fractioni panis, hoc est, præparationi ad distributionem. Cujus rei hæc causa est: quia vinum jam antè fuerat poculo infusum, & sic nulla alia opus erat præparatione, ut hauriri vel bibi posset. Vbi meritò cum D. Luthero ridemus eos, qui somniant ex alio vase vinum in calicem effundendum esse, ad adumbrandam effusionem sanguinis Christi in cruce.*

113. *Adhuc nisi concedamus, D. Paulum per fractionem intelligere*

telligere distributionem: fatendum erit, omissum ab eo actum sacramentalem principalem: quod absit.

114. *Denig; si fractio, hoc est, comminutio in particulas est actus peculiaris sacramentalis, negari nulla ratione potest pertinere eam ad formam sacræ cœnæ. Ac proinde sine ea cœna Dominica planè esse non poterit: sicut evidens est, sine separatione panis & vini, & benedictione, & distributione cœnam Dominicam consistere nullo modo posse. Item; sequitur, plures esse actus sacramentales in pane, quàm in vino: quod concedi non debet.*

115. *Quare firmissima stat conclusio, fractionem, hoc est, comminutionem panis in particulas, non esse peculiarem actum sacramentalem: sed inservire eam distributioni: Ac proinde hic pariter se habent fractio illa panis, & infusio vini in poculum, hoc est: Vtra; est ministerialis, & inservit distributioni.*

116. *Vnde totum judicium dependet* de fractionis illius necessitate: *quæ sic asserenda est propter finem suum, nempe distributionem, ut tamen ipsa non habeatur pro actu sacramentali: sicut neque infusio vini in calicem est peculiaris actus sacramentalis: Sed utra; est præparatio ad distributionem, quæ est actus sacramentalis.*

117. *Quare non est præcisè necessarium, ut vel panis manu frangatur, vel vinum in calicem infundatur ab ipso dispensatore, in ipsa mensa Domini, in media cœnæ actione: Sed totum hoc subjacet Christianæ libertati, & ordinationi Ecclesiasticæ, tum quoad tempus, & locum, tum quoad ipsum etiam ministrum, & instrumentum, quo sive frangatur panis, sive secetur, & comminuatur in particulas.*

Hactenus de actionibus dispensatoris.

Actus sacramentales cœnam S. sumentis.

118. *In λήψει sive sumptione actus est geminus in utraque parte.* 1. Acceptio *panis, qui est κοινωνία corporis Christi & vini, quod est κοινωνία sanguinis Christi. Qui actus exprimitur verbo mãdati:* Accipite. 2. *Illius* manducatio, *hujus* bibitio, *qui actus exprimitur verbo mandati:* Edite, & bibite.

119. *Non hic scrupulos inicimus conscientiis: Sitnè sacra-*

mentum hoc accipiendum manu, & postea propria manu admovendum ori, an verò ore nostro sumendum ex manu ministri, per quem
» ipse Christus nobis porrigit; Nam & hic regnat Christiana libertas,
» & certum est, qui ore accipit, verè accipere.

120. Qui enim scribunt, λαμβάνειν propriè idem esse, atq; manu accipere: ruditatem produnt suam, & insciti am. Generalis enim est verbi istius significatio. Et ne aliis argumentis opus sit, produco D. Marc. qui cap. 15. v. 23. de Christo in cruce pendente: Et dabant, inquit, ei (utiq; non in manus, sed ad os) bibere myrrhatum vinum, & non accepit: Et S. Ioh. c. 19. v. 29. 30. Illi autem (milites) spõgiam plenam aceto, & hyssopo circumponentes, obtulerunt ORI ejus. Cum ergò accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Hæc sunt perspicua: quæ nullis possunt sophisticationibus obscurari.

121. Considerandum nunc est, quomodo actus hi sacramentales applicentur ipsi materiæ sive objecto suo sacramentali. Magnũ enim usum habet pia hæc observatio.

» 122. Et separatio quidem sive acceptio (qui actus primus
» est) occupatur in solo pane, & vino: id quod satis apparet.

» 123. Benedictio sive consecratio (qui actus secundus est)
» mutat panem illum, & vinum istud: non à substantiæ suæ veritate
» (quæ permanet) sed ratione finis, nimirum adjectione gratiæ novæ, per divinam illam vocationem, & verbum institutionis, ut fiat divinum sacramentum.

124. Hîc igitur fundamentum consistit unionis, & præsentiæ sacramentalis: cujus causa unica est peculiare Christi veracis, & omnipotentis verbum, quo divinam hanc cœnam instituit, & ordinavit, & hæc symbola benedixit peculiariter.

125. Vnde tamen non inferes: Si non sequatur distributio
» & perceptio: vi benedictionis illius pani & vino, corpus & sangui-
» nem Christi sacramentaliter unita vel esse, vel manere: Quia nimi-
» rum tota δόσις ministri eò refertur, ut communicantes sacramentum

per-

percipiant. Quæ sumptio nisi fiat, neq; δόσις dici rectè potest, & Christi ordinatio non servatur.

126. Atq; hic vide divinam prudentiam D. Pauli κοινωνίαν Κοινωνία. sacramentalem ita describentis, ut in ea complectatur, & ministri distributionem, & sumptionem communicantis. Quæ ipsa etiam causa est, ut Apolog. August. Confess. appellaverit participationem.

127. Quare distributio (qui actus est tertius) consequens benedictionem, non jam occupatur in solo pane & vino: sed in re terrena & cœlesti simul, per divinam illam benedictionem sacramentaliter unitis.

128. Distribuit igitur minister (vel potius ipse Christus per ipsum) in sacra cœna non solum panem & merum vinum; sed divina voce benedicta, vel divinam vocationem habentia, ut Iren. loquitur, ac proinde cum illis, & per illa symbola, verè etiam distribuit corpus & sanguinem Domini: Quod quicunq; negant, negabunt eodem modo, unionem sacramentalem factam esse virtute & efficacia divinæ illius benedictionis.

129. Porrò quod distribuit per ministrum suum Christus, " illud ipsum (non plus, non minus) in sacramentali hac actione, com- " municans accipit, manducat, & bibit.

130. Vnde intelligi datur, verba illa Christi: Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus: non nisi per enormem divulsionem segregari à verbo mandati: Accipite, edite, bibite.

131. Quære enim tu: Quidnam sit illud quod minister (vel ipse Christus per illum) in cœna distribuit, jubetq; accipere, manducare, & bibere? Quid aliud respondebo, quàm quod ipsa veritas dicit: Hoc est corpus Christi: Hoc est sanguis Christi?

132. Non igitur distribuitur, accipitur, manducatur, bibitur, in sacra cœna solus panis, & solum vinum: alioqui certè hæc verba Christi (absit! absit!) forent falsissima: Edite, hoc est corpus meum: Bibite, hoc est sanguis meus.

133. Sed sacramentalis hæc manducatio & bibitio occupa-

tur in ipso Christi corpore pani, & in sanguine vino, per divinam benedictionem sacramentaliter unito: juxta Pauli sententiam: Panis quem frangimus est communicatio corporis Christi: Poculum benedictionis, quod benedicimus est communicatio sanguinis Christi, 1. *Corinth.* 10. 16.

„ 134. *Quod ut demonstremus, proponimus talem syllogi-*
„ *smum. Quicquid virtute divinæ Institutionis in sacra cœna,* 1. *ve-*
„ *rè præsens est* 2. *& ad sacram cœnam, tanquam eius vera materia, si-*
„ *ve cibus & potus pertinet,* 3. *& ab ipso Christo cœnam illam sacram*
„ *sumentibus ad manducandum & bibendum ordinatum est,* 4. *&*
„ *quod Christiani secundum Christi institutionem sacra cœna utentes,*
„ *verè manducant & bibunt: illud ipsum sine omni dubitatione in-*
„ *cluditur verbis illis Christi:* Edite, Hoc est corpus meum, Bi-
„ bite hoc est sanguis meus.

„ *Atqui non tantùm panis & vinum, sed etiam verum Chri-*
„ *sti corpus & sanguis, virtute divinæ institutionis, in sacra cœna,* 1.
„ *verè præsens est,* 2. *& ad sacram cœnam tanquam ejus vera materia*
„ *sive cibus & potus, pertinet,* 3. *& ab ipso Christo cœnam illam sacram*
„ *sumentibus ad manducandum, & bibendum ordinatum est,* 4. *& il-*
„ *lud Christiani, secundum Christi institutionem sacra cœna utentes,*
„ *verè manducant & bibunt: Id quod omnes pii agnoscunt & faten-*
„ *tur. Quare non tantùm panis & vinum, sed etiam verum corpus &*
„ *sanguis Christi sine omni debitatione includitur verbis illis Christi:*
„ Edite, Hoc est corpus meum: Bibite, hoc est sanguis meus.

135. *Vis cumulari argumenta?* 1. *Clarissima sunt verba Christi:* Edite, hoc est corpus meum: Bibite, hoc est sanguis meus: *de quibus jam dictum est.* 2. *Itemq; manifestissima est sententia D. Pauli,* Panis quē frangimus est κοινωνία corporis Christi, &c. *Quæ vera esse non posset, nisi verbo manducandi etiam corpus Christi comprehendatur.* 3. *Ex unione sacramentali: quæ connectit rem terrenam, & cœlestem, ut neutra separatim, hoc est, una sine altera, sed utraq; simul accipiatur.* 4. *Ex tota sacramentali actione: à*

ne: à qua excludi oportet corpus & sanguinem Domini, si non comprehendatur verbo: Accipite, Edite, Bibite. *Quod absurdum esse dicunt piè docti. Sicut & illa quæ sequuntur. Si à verbis:* accipite, edite, bibite: *segregentur corpus & sanguis Domini: non pertinebunt illa ad sacræ cœnæ substantiam: Verborum illorum:* Hoc est corpus meum. Hoc est sanguis meus: *nullus erit verus, & manifestus sensus, nisi fortè Carlostadianus: Nulla potest in cœna monstrari sacramentalis corporis Christi manducatio, & bibitio sanguinis: Manducatio & bibitio solius panis, & solius vini erit merè naturalis.*

136. *Nimium pueriliter ludunt, qui argumentum contra nos texunt ex constructione grammatica: Activa verba regunt accusativum inquiunt.* Hoc est corpus meum, *nõ est accusativus, sed nominativus, Ergò non regitur à verbo* Edite.

137. *Quibus si responderes: Edite, hoc est panis triticeus, Bibite, hoc est vinum Rhenanum: emoriar, si non faterentur, & recte locutum te esse, & à se optimè intelligi.*

138. *Superest ut exponamus, quonam instrumento acceptio illa, & manducatio, & bibitio perficiantur. Vbi responsio nostra expedita, & facilis est, acceptionem quidem indifferenter fieri, vel manu, vel ore, manducationem verò, & bibitionem ore corporeo, iuxta verbum Christi:* Accipite, edite, bibite. Instrumẽtum manducationis & bibitionis sacramentalis.

139. *Quæ à Christo in cœna præcepta* manducatio, *neq; est naturalis, sive communis, neq; merè spiritualis, sed sacramẽtalis.*

140. Non naturalis, sive communis: *multoq; minus Capernaitica, Nam: Manducatio & bibitio, quæ fit in sacra cœna est Ecclesiæ N.T. propria, & extra eam locum non habet. Manducatio autem, & bibitio naturalis, sive communis non est Ecclesiæ N.T. propria, & habet locum extra Eccl. Ergò manducatio, & bibitio quæ fit in sacra cœna non est naturalis, sive communis, multoq; minus Capernaitica.*

141. Non merè spiritualis: *qualis describitur, Ioh. 6. in*

prolixa illa, vereq; aurea Christi concione: in qua Calviniani quidam censent sacramentalem carnis Christi manducationem describi. Quod falsum esse sic probatur, 1. Ex diversitate temporis: *Concio enim illa Christi integrum annum antecessit institutionem sacræ cœnæ.* 2. Ex diversitate loci, *Concio enim illa habita fuit Capernaumi: Cœna verò instituta est Hierosolymis.* 3. Ex symbolis cœnæ *pane & vino, quæ Ioh. 6. c. non habentur.* 4. Ex distinctione cibi & potus *in sacra cœna, quæ distinctio non habet locũ in manducatione merè spirituali, Fides enim fertur in totum Christum.* 5. Ex distinctione actuum, *manducandi & bibendi in cœna. Corpus enim Christi cum pane manducatur, non autem bibitur: Et sanguis Christi cum vino bibitur, non autem editur: In spirituali verò manducatione fides uno intuitu in Christum fertur, eumq; uno complexu firmiter tenet, cum omnibus beneficiis.* 6. Ex diversitate significationis vocabulorum: *Manducare enim & bibere accipitur propriè in cœna: Metaphoricè autem Ioh.* 6.7. Ex diversitate hospitum: *In cœna enim quidam digni sunt, quidam indigni,* 1. Cor. 11. *Qui posteriores locum non habent in manducatione merè spirituali.* 8. Ex diverso eventu: *In cœna quidam ad iudicium manducant* 1. Cor. 11. *quod fieri non potest in manducatione spirituali Ioh.* 6. 9. *Manducatio in S. cœna est N. Testamenti propria, Spiritualis illa, Ioh.* 6. *est omnium temporum.* 10. *Manducatio in cœna non est perpetua, sed fit diversis vicibus, ut ostendit viva praxis: Quæ verò Ioh.* 6. *descripta exstat, perpetua, & continua esse debet in animis piorũ.* 11. *Ad describendam manducationem spiritualem Ioh.* 6. *inductus est Christus occasione editi miraculi: ibidẽ commemorati, cœnæ verò suæ manducationem, & bibitionem gravi consilio præcepit, & solenniter, concluso V. T. planè novum sacramentum, antea nunquam usurpatum instituit.* 12. *Quæ sacramentalis manducatio tendit in hunc finem, ut fides nostra confirmetur: Spiritualis vero illa manducatio Ioh.* 6. *nihil est aliud, quam verè in Christum credere, ut patet ex collatione v.* 47. *&* 54. *Differre autem medium, sive instrumentum*

mentum tendens ad finem, ab ipso fine, notum est. 13. *Sacramentalis, ut sit salutaris, requiritur ad eam fides, sine qua vergit in judicium: Et potest spiritualis manducatio fieri etiam extra cœnam. Quare & hæc sine illa. Et illa sine hac esse potest, Revera igitur differunt.* 14. *Denig; spiritualis illa manducatio Ioh. 6. illustratur à manducatione manna, quæ fuit veteris testamenti figura ad Christum, quale nihil in cœna Dominica potest reperiri: quippe quam diserte Christus ab agno paschali, adeoq; toto veteri Testamento distinxit, ac proinde vocavit ibi sanguinem* suum Novi *Testamenti. Quare manducatio sacræ cœnæ propria, non est manducatio merè-spiritualis.*

142. *Sed est* Sacramentalis, *hoc est, respondens unioni sacramentali, & in eâ fundata. Ac proinde occupatur non in solo pane, neq; etiam in solo corpore Christi, (horum enim neutrum sine altero est sacramentum, sed utrumq; virtute benedictionis divinæ unitum, est sacramentum) Verum in utrisq; simul sacramentaliter unitis, ut suprà dictum est.* Manducatio sacramentalis.

143. *Vna igitur est, eademq; indivisa panis & corporis Christi sacramentaliter unitorum manducatio, itemq; vini & sanguinis Christi sacramentaliter unitorum bibitio, juxta verbum Christi:* Edite, hoc est corpus meum, &c. *& Pauli:* Panis quem frangimus est κοινωνία corporis Christi, &c.

144. *Quæ quidem manducatio & bibitio, non est metaphorica, vel Spiritualis (quæ ore fidei perficitur) sed vocabulo in nativa & propria significatione accepto notatur manducatio & bibitio, quæ fit ore corporeo, & tamen conveniens est huic divino mysterio, propter Christi institutionem. Id quod sic probamus.*

145. *I. Verba sacræ cœnæ substantialia, non sunt metaphoricè, sed propriè (loquor de proprietate vocis grammatica) accipienda: alioqui de essentia S. cœnæ nunquam possemus esse certi. Verba illa:* Edite, Bibite, *S. cœnæ sunt substantialia, ut patet ex dictis, Ergò sunt non metaphoricè sed propriè, sive in nativa, & propria signaificatione accipienda.*

„ 146. II. *Omne verbum actionem notans, usurpatum de*
„ *proprio suo objecto, habet significationem propriam non metaphori-*
„ *cam, ut constat inter eruditos: Atqui verbum:* Manducate & bi-
bite, *in sacra cœna usurpatur de proprio objecto, nempe vero pane &*
vino, quanquam non solo, ut planum est. Quare verbum manducate, & bibite, *in sacra cœna accipitur, non metaphoricè, sed in significatione nativa, & propria.*

147. *III. Relati & correlati eadem est ratio in proprietate significationis vocabuli. Nam pater propriè dictus habet filium propriè dictum: Sicut patris metaphoricè dicti filius etiam metaphoricè dicitur. Atqui distributio & acceptio in sacra cœna, quæ refertur ad manducationẽ & bibitionem, accipitur propriè, non modificatè, ut fatentur ipsi adversarii. Quare etiam manducatio, & bibitio accipiuntur in significatione propria, non autem modificata. An sic mavis! Quicunq; cibus aut potus datur in manum, vel in os, ut edas, & bibas, ille editur, & bibitur propriè loquendo, non autem tropicè. Atqui panis & vinum in sacra cœna (cui unitũ est corpus & sanguis Christi sacramentaliter) datur in manum, vel in os, ut edas, & bibas. Ergò panis ille, & vinum (cui unitum est corpus, & sanguis Christi sacra-*
„ *mentaliter) editur & bibitur propriè, non autem tropicè. Propositio-*
„ *nis veritas hinc elucet: Quoniam illud instrumentum quàm maxi-*
„ *mè propriè debet accipere cibum & potum, cujus est quàm maximè propria actio circa illum cibum, & potum. Oris autem corporei est quam maximè propria actio circa cibum illum & potum, nempe panem & vinum, cui corpus, & sanguis Christi sacramentaliter unitũ est. Quare os quam maximè propriè in sacra cœna debet accipere, & manducare, & bibere panem illum, & vinum, cui corpus & sanguis Christi sacramentaliter unitum est.*

148, *IV. Eadem est ratio verbi edendi, & bibendi in sacra cœna. Bibere autem ibi accipitur propriè, non tropicè. Ergò & edere accipitur propriè, non tropicè. Assumptum probatur: Eadem est significatio verbi bibendi in mandato Christi* Bibite, *& in ejus mandati executio-*

executione, Atqui in executione ejus mandati accipitur propriè apud Marc. non tropicè, Et biberunt ex eo omnes: *id quod omnes fatentur. Quare etiam in mandato Christi:* Bibite: *propriè accipitur, non tropicè.*

149. *V. Idem probatur ex manducatione indignorum, ex* 1. *Cor.* 11. *v.* 27. 29. *Ea est verborum* Edite, bibite, *in cœna significatio, quæ cadit etiam in indignè (hoc est, sine vera pœnitentia & fide) manducantes, & bibentes, ut ostendit D. Apostolus. Atqui manducatio & bibitio metaphorica, sive merè spiritualis, quæ fit sola fide, non cadit in indignè manducantes & bibentes, quia fide carent. Ergò manducatio, & bibitio metaphorica, seu mere spiritualis, quæ fit sola fide, non intelligitur per verba:* Edite, bibite, *sed ea quæ fit ore corporis.*

150. *VI. Verba illa,* Edite, Bibite, *sic accipienda sunt in cœna, ut sacramentalis manducatio & bibitio distinguatur à mere spirituali; Quod ut fiat, necesse est, ut accipiantur propriè, non autem tropicè, ut patet.*

151. *VII. Ea est significatio verborum* Edite, bibite, *in cœna sacra, quæ conveniat unioni sacramentali, panis & corporis, itemq; vini & sanguinis Christi. Atqui unio tlla talis est, ut quod in actione sacramentali, post factam divinam benedictionem dicitur de pane per se, & primò, id propter unionem sacramentalem & secundariò etiam dicatur de corpore & sanguine Christi: Iam de pane, & vino, verbum* edite, bibite, *non potest aliter accipi, quàm in significatione nativa & propria, ut constat, nempe de manducatione, & bibitione quæ fit ore corporis. Ergò significatio verborum,* Edite, bibite, *in sacra cœna non est tropica, sed nativa, & genuina.*

152. *IIX. Fructus sacræ cœnæ oportet ut sit distinctus ab ipsa cœnæ substantia. Atqui manducatio spiritualis est fructus sacræ cœnæ, Ergò manducatio cœnæ propria non est merè spiritualis, sed sacramentalis, quæ fit ore corporis: Et per consequens verbum* Edite, Bibite, *accipitur propriè, non tropicè.*

153. *IX. Sequuntur absurda, si tropicè accipiatur.* 1. *Nusquam in scriptura explicari manducationem sacramentalem propriis verbis.* 2. *Panem & vinum manducari & bibi metaphoricè, ore fidelis animæ.* 3. *Iudam proditorem edisse fide corpus Christi: & alia quàm plurima, quæ recitare non est opus.*

154. *X. Denique accedit propria Calvinistarum quorundam confessio, expresè asserentium, verba illa:* Edite, Bibite, *accipi sine omni tropo, de manducatione, & bibitione, quæ fit ore corporis, beneficio linguæ, &c. & eam referentium ad solum panem, & vinum: in quo tamen posteriore errare eos, suprà ostendimus.*

155. *Sed occurrunt alii, affirmantes de distinctis rebus distinctè loquendum esse. Quia igitur hic distinctæ res proponuntur, terrena, & cælestis: dicunt, panem manducari ore, corpus autem Christi edi anima, Itemq; vinum bibi ore corporeo, sanguinem autē Christi hauriri ore fidelis animæ. Et huc refertur analogia ipsorum sacramentalis, & proportio inter instrumentum & objectum, aliaq; similia.*

156. R. *I. Vtiliter acceptamus, quod verbum* Edite re-
„ *ferunt & ad panem, & ad corpus Christi, Itemq;* Bibite *simul ad vi-*
„ *num & sanguinem Christi. II. Consequens est fallax: Panis & cor-*
„ *pus Christi sunt res distinctæ. Ergò etiam in sacra cœna distincta est hujus & illius manducatio. Nam verbum unum idemq; in simplici axiomate non potest habere nisi unam significationem, quæ exprimat unam notionem logicam.* Et in cœnâ Dominicâ panis & corpus Christi manducantur, nõ quatenus sunt res distinctæ, sed quatenus sunt sacramentaliter unitæ. *Perinde igitur illi concludunt ac si diceres: In Christo sunt duæ distinctæ naturæ, Ergo Christus non est una persona: Panis & corpus Christi sunt res distinctæ, Ergo non sunt unum sacramentum. III. Manducatio solius panis est manducatio naturalis & communis: Et manducatio solius corporis Christi per fidem, est merè spiritualis. Num igitur ex utraq; conjuncta facies sacramentalem? Absit.* Sacramentalis *enim* mãducatio

ducatio non gemina, ſed una eſt: quæ occupatur in toto "
ſacramenro, & fundatur in unione ſacramentali panis & "
corporis Chriſti. *Panis igitur in ſacra cœna manducatur, non quà* "
abſolutè panis eſt, ſed quà eſt σχετικῶς corporis Chriſti: Et corpus "
Chriſti in cœna manducatur, non quâ abſolutè eſt corpus Chriſti, ſed
qua eſt ſacramentaliter huic pani unitum; Sicut igitur quæ de Chri-
ſto dicuntur ratione perſonæ, non ſunt gemina, quia perſona non eſt
gemina: Ita quæ de ſacra cœna dicuntur, tanquam uno ſacramento,
ratione unionis ſacramentalis nõ poſſunt eſſe gemina, quia ſacramen-
tum non eſt geminum, ſed unum. Ac proinde ſacramentales actus ſi-
ve actiones non ſunt gemina, ſed reſpondent unitati ſacramenti, quæ
dependet ex unione ſacramentali. Quam unionem ſacramentalem
tollunt, quicunq; duplicem fingunt in cœna manducationem toto ge-
nere diverſam, quicquid etiam prætexant. Iidemq; etiam tollunt di-
ſcrimen inter manducationem ſacramentalem, & merè ſpiritualem:
quod vidit & agnovit Sadeel de ſacrament. manduc. p. 6. ſed non ri-
tè obſervavit.

157. *Repeto igitur Syllogiſmum: Omnis actio ſingularis,*
quæ occupatur in objecto ſibi proprio, eſt una, non gemina ſive duplex.
Manducatio ſacramentalis ſacræ cœnæ propria, eſt actio ſingularis,
quæ occupatur in objecto ſibi proprio, nempe cibo ſacramentali, hoc eſt,
corpore Chriſti ſacramentaliter unito pani. Ergo manducatio ſacra-
mentalis ſacræ cœnæ propria eſt una, non gemina. Idem judicium de
bibitione ſacramentali.

158. *At nulla, inquis, eſt proportio inter Chriſti corpus, &*
inter os corporeum. Ergò ne, inquam ego, eſt proportio inter corpus "
Chriſti & tuam animam? quod Zuinglius tuus fortiter negat. Sed "
his omiſſis rem ipſam explico. Eſt omninò proportio in manducatio- "
ne ſacramentali inter corpus Chriſti & os noſtrum: quæ fundatur in "
unione ſacramentali. Quatenus enim corpus Chriſti pani unitum "
eſt, eatenus proportio jam eſt demonſtrata. Nam os noſtrum non per- "
cipit immediate corpus Chriſti ſed percipit primò & immediatè ſan- "

„ *Eum panem, cui pani, quia unitum est Christi corpus, ideò cum illo*
„ *pane etiam verissimè corpus Christi accipit, & mãducat os nostrum.*
Confer locutiones de filio Dei incarnato, quibus per, & propter unionem personalem, multa dicuntur de filio Dei, quæ sunt propria naturæ humanæ.

159. *Alii sic insurgunt: Manducatio quæ fit ore corporis, talis est, ut cibus ore sumatur, dentibus conteratur, lingua gustetur, per fauces ad ventriculum demittatur, ibiq; concoquatur, &c. Quæ de corpore Christi dici non debent.*

160. R. *Breviter: definitio illa est manducationis physicæ, naturalis, vulgaris, communis: anne etiam dicam Capernaitica! Talis non est, quam nos vocamus sacramentalem in Dominicâ cœna. Et meminimus actus sacramentales suprà diligenter annota-*
„ *tos: præter quos nullos alios admittimus. Quare: Qualis est sacra-*
„ *mentalis unio, talis etiam sacramentalis est in cœna manducatio. At-*
„ *qui unio illa non est physica, naturalis, vulgaris, communis, cur igi-*
„ *tur manducationem talem appellabis?*

161. *Annón igitur, inquis, panis cœnæ manducatur ore, & descendit in ventriculum, &c.* R. *distingue in pane, id quod est naturale, ab officio sacramentali. Sicut enim substantia panis & vini verè manet in ipso usu cœnæ: sic etiam manent eorundem qualitates, & alia accidentia. Sed illa non debent confundi cum officio eorum sacramentali: quod in eo consistit, teste Apostolo, ut fractus hic panis, & benedictum vinum sit κοινωνία corporis, & sanguinis Christi. Accuratissimè igitur tenemus terminos unionis sacramentalis, & nihil prædicamus de Christi corpore propter unionem cum pane, quod non sit expressum in verbis institutionis. Neq; patimur vel multiplicari, vel extendi actus sacramentales, adeò præcisè ab ipso Christo præscriptos. Non igitur negamus, panem & vinum demitti in ventriculum, & pati naturales alterationes: Id verò habent commune cum quovis alio pane & vino, nec ad sacramenti rationem id trahi potest, nisi velis, errore non ferendo miscere & confundere mystica & naturalia.*

Rectè

Rectè Sadeel & christianè de Spirit. manduc. pag. 11. & 47. Quicquid est mysticum, *inquit*, idem est ὑπερφυσικὸν, & supernaturale, & supra naturam. *Quid igitur agunt, qui mysticam in sacra cœna manducationem definire præsumunt ex regulis naturæ?*

162. *Nondum quiescunt verborum Christi censores. Si enim ultrà manducationem & bibitionem sacramentalis actio non extenditur; quærunt, quonam se recipiat corpus Christi & sanguis?*

163. R. *Pii hominis est, hospitem tàm nobilem & pretiosum gratiosè adventantem fideli corde suscipere, & complecti, ut per fidem ibi habitet, mansionemq; faciat perpetuam. Hic enim finis, hic fructus est, ut in nobis Christus maneat, & nos in ipso: id quod salubriter discitur ex concione Christi Ioh. 6. Qui verò fide carent, neq; fideli pectore Christum suscipiunt, de iis D. Paulus affirmat.* 1. Cor. 11. *v.* 29. *reos fieri illos corporis & sanguinis Domini, & manducare sibiipsis judicium. Pertinet ad hanc doctrinam pleniùs intelligendam pia consideratio diversorum modorum præsentiæ Christi: de quibus alibi disputatum.*

164. *Videmus hactenus, quem cibum, potumq; cœlestis ille Dominus in cœna sua manducandum & bibendum proponat: dicendum nunc aliquid est de hospitibus, qui ad has epulas invitandi, & admittendi sunt.*

165. *Definitio* hospites cœnæ *hujus vocat* Christianos (*secuta catechesin D. Lutheri*) *hoc est, eos qui in Christum sunt baptizati, & Christianam fidem profitentur. Non autem absolutè omnes: sed eos, qui edere & bibere possunt, secundum Christi institutionem, ut annuncient mortem Domini.* 7. Hospites in S. cœna.

166. *Non igitur facimus cum illis, qui etiam infantibus baptizatis sacram cœnam administrandum esse, olim putârunt: perperam exponentes dictum Ioh. 6. v. 53. Si non manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ipsius sanguinem, non habetis vitam in vobis ipsis: de perceptione sacramentali: cum certum sit, intelligendum esse illud de fruitione spirituali, quæ fit per fidem in Christum, ut suprà ostendimus.*

E 98e

167. *Neque omnes Christiani adulti promiscuè, & quovis tempore, sunt hospites in sacra cœna: Sed illi qui sese probant: juxta dictum Apostoli: probet homo seipsum, & sic de pane illo edat, &c.* 1. *Cor.* 11. *v.* 28.

168. *Quare, ut breviter complectar, propono hos aphorismos,* I. Soli Christiani, *(hoc est, in Christum baptisati, & ejus doctrinam professi)* admittendi sunt ad sacram cœnam. *Sicut soli circumcisi admittebãtur ad esum agni paschalis, Exod.* 12. *v.* 48. *Nulli ergò gentiles, Turci, Iudæi, &c.* II. Soli adulti Christiani, qui se probare possunt, & annuntiare mortem Domini, admitti debent ad percipiendam Eucharistiam. III. Excommunicati arcendi sunt ab usu dominicæ cœnæ: *donec agant pœnitentiam, & in Ecclesiæ societatem recipiantur.* IV. Notoriè flagitiosis non patet aditus ad sanctam communionem. *Ratio: Quia homo debet sese probare, quisquis verò perseverat, vel in doctrinæ erroribus, vel in manifestis flagitiis, & peccatis regnantibus; is dici non potest sese probare. Quare admitti ad cœnæ usum non debet. Porcis enim non sunt projiciendæ margaritæ. Aliud est de peccatis occultis loqui, de quibus notum est dictum*, de occultis non judicat Ecclesia.

Manducatio indignorum.

169. *Hic quæstio oritur*, de indignè manducantibus, *quídnam illi accipiant, manducent, & bibant in sacra illa Domini cœna? Vbi simplicissimè respondemus: Vnum & eundem cibum & potum esse propositum quibusvis hospitibus cœnam usurpantibus: ac proinde nullum planè discrimen ostendi posse, ratione substantiæ (sicut unum est Evangelium, quod audit fidelis, & infidelis: unus Baptismus quem accipit pœnitens & impœnitens) sed usum, & effectum esse distinctum, ratione fidei & incredulitatis.*

170. *Quam quæstionem paulò pleniùs exposituri protestamur sanctè, nos indignos illos Christi hospites defendere vel excusare, vel patrocinari illis nequaquam velle (quicquid calumnientur adversarii) sed hoc agere, ut ostendamus nostris auditoribus, quam gra-*

vi

vi scelere sese obstringant, quantisq; pœnis sese objiciant, qui tàm sancto & solenni convivio abutuntur, & impietate sua illud profanant.

171. *Qua in re imitamur D. Apostolum, qui duo hic enunciat de indignè manducantibus,* 1. *Cor.* 11. *v.* 27. 29. *I. Reos ipsos fieri corporis & sanguinis Domini: Deinde eos judicium sibi edere, & bibere, non dijudicantes corpus Domini.*

172. *Porrò* indignè manducant, *& bibunt illi, qui sine verâ pœnitentiâ & fide manducant, ut eos definit concordia Witebergensis: vel ut Apostolus loquitur*, qui seipsos non probant, *nempe ut interpretatur Marloratus, quâ fide erga Christũ accedant ad hoc mysterium celebrandum: qui non seipsos tentant, an sint in fide,* 2. *Cor.* 13. *v.* 5. *& quorum animus adhuc æstuat absurdis cupiditatibus pecuniarum, iræ, odii, & similium. Nam fides ex indignis facit dignos. Eadem Calvini sententia est. Et Petrus Mart. Probatio hæc, inquit, tota in fide & pœnitentiâ consistit. Andreas Hyper. Indignè edit, inquit, qui commemorat mortem Domini, qui fidem non habet in promissionem divinam.* Indignè manducantes.

173. *Quæ ipsorum Calvinistarum descriptio diligenter notanda est, & opponenda illis, qui tria genera constituunt indigne mãducantium. Nam si sola fides est, quæ dignos facit hospites in hoc sancto convivio: Sequitur solam incredulitatem esse (ex qua omnis generis peccata profluunt) quæ indignos reddat convivas. Est enim* vera fides vestis illa nuptialis: *quâ qui ornatus est, dignus, qui caret, indignus hospes habebitur.*

174. *Error igitur crassissimus est, idemq; pernitiosissimus, indignè manducantibus annumerare eos, qui veram quidem fidem habent, sed infirmam & languidam. Errant, inquit, Ioh. Piscator in observat. in* 1. *Corint.* 11. *v.* 27. *qui putant Paulum loqui de infidelibus. Is verè loquitur de fidelibus, sed qui indignè, hoc est, irreverenter cœnam Domini percipiunt ἀναξίως, hoc est, secus ac dignum est tàm sancto mysterio.*

175. *Cui oppono hos aphorismos: Nemo vera fide in Chri-*

„ *ſtum præditus, quantumvis infirmâ indignus eſt Chriſti hoſpes, Et*
„ *omnis verâ in Chriſtum fide præditus, quantumvis infirma, eſt di-*
„ *gnus Chriſti conviva.*

176. *Addo etiam hoc argumentum: Si in fidei infirmitate*
„ *conſiſtit indignitas, perit proprius finis ſacræ cœnæ. Inſervit enim illa*
fidei confirmandæ, ut conſtat inter omnes. Quare planè ἄλογον eſt &
abſurdum, indignos vocare eos, qui fidei ſuæ firmamentum quærunt
in uſu ſacræ cœnæ.

177. *Quod ſi dicas, indignitatem illam ſpectari in oſcitan-*
tia, & incuria hominum alioqui fidelium: Bone Deus, quantis te im-
plicas difficultatibus? Sequetur inde dignitatem conſiſtere in dili-
gentia, & dexteritate obeundæ vocationis: hoc eſt, à fide delaberis ad
propria opera, in iisq; dignitatem quæris tuam. O te miſerum! An-
nón enim perpetuò dubitandum erit Chriſtianis fidelibus, an dignè
accedant ad menſam Domini? Quis enim verè credentium delecta-
bitur iſtâ præſumptione, ut dicat, ſe in omnibus officii ſui partibus ſa-
„ *tisfeciſſe mandatis Dei? Hæc enim veræ fidei natura eſt, & ingeniũ,*
„ *propriam agnoſcere infirmitatem, & ſoli Deo omnem perfectionis &*
„ *dignitatis laudem aſſignare. Dan. 9. v. 7. Eſai. 64. v. 6. Quid? An-*
nón quærimus peccatorum Remiſſionem in ſacra Domini cœna?

178. *Et quid de Apoſtolis Chriſti dicendum erit? An-nón*
enim illi præter officium ſuum faciebant, quando diſceptabant, quis
eorum videretur eſſe major? Luc. 22. 29. ut alia nunc prætermittam.
Quos omnes inter indignè manducandes cenſeri, quis concedet?

179. *Repudiata igitur illa novorum quorundam Calvini-*
zantium abſurditate, firma ſtat definitio: Indigne eos manducare in
cœna Domini, qui ſine vera pœnitentia & fide manducant.

Reos fieri corporis Chriſti.

180. *De his prædicat Apoſtolus*, 1. Reos fieri nos corpo-
ris, & ſanguinis Chriſti, *ubi notanda græca conſtructio*, ἔνοχος τοῦ
σώματος: *quæ notat reatum in ipſa re, in qua actio committitur: ſicut*
cum dativo ſignificat obligationem ad pœnam. Reus igitur fieri cor-
poris Chriſti hic dicitur, qui in ipſo Chriſti corpore reatum contra-
xit,

xit, nimirum indignè illud manducando. Mirum quomodo se hic macerent Calviniani, in obscurando clarissimo hoc Apostoli testimonio.

Manducare sibi judicium.

181. *II. Deinde dicit*, eos manducare sibiipsis judicium, non discernendo corpus Domini, *Hoc est, ut Hyperius rectè exponit: Edunt sibi judicium, id est, edendo & bibendo accersunt sibi damnationem: Non dijudicantes corpus Domini, id est, non ritè expendentes mysterium hoc porrecti corporis, & sanguinis Domini, in remissionem peccatorum, &c. Sudant & hic Calvinistæ, in depravandis illis manifestissimis verbis S. Apostoli, quæ delere nunquam poterunt, quicquid sophisticentur.*

182. *Ne verò longiores simus, repetimus hic nostrum syllogismum, sæpius Sacramentariis oppositum, qui se habet: Quisquis manducãdo, & bibendo benedictum hunc panem, & vinum, reus fit ipsius corporis, & sanguinis Christi, & sibi ipsi judicium edit & bibit, eo ipso, quod in illa manducatione & bibitione non discernit corpus Domini: eum certum est manducare, & bibere corpus & sanguinem Domini. Indignè, hoc est sine vera pœnitentia & fide ad sacram cœnam accedentes, manducãdo & bibendo benedictum hunc panem & vinum, rei fiunt ipsius corporis & sanguinis Christi, 1. Corinth. 11. v. 27. & sibiipsis judicium edunt & bibunt, v. 29. eo ipso, quod in manducatione illa, & bibitione non discernunt corpus Domini, ibid. Quare certum est, sine vera pœnitentia & fide ad sacram cœnam accedentes manducare & bibere corpus & sanguinem Domini.*

183. *Propositionis veritas necessaria est, in qua rectè copulantur & connectuntur, 1. objectum manducationis sacramentalis. 2. Et ratio, sive modus reatus, qui contrahitur ab indignè manducantibus. 3. Et rursus etiam objectum, circa quod reatus ille contrahitur. Vnde exstruo tale axioma: Quisquis cœnam sacram sumens* manducando *reus fit ipsius corporis Christi, ideò quod in illaipsa manducatione non dijudicat, sive discernit illud ipsum corpus Domini, cujus fit reus, eum certum est manducare corpus Christi.*

Nam in quo objecto peccat actio *(manducatio)* in eodem objecto ipsam actionem *(manducationem)* versari necessum est, *ut sapientibus constat. Atqui manducatio sacramentalis (indigna illa) peccat in ipso Christi corpore (sacramẽtaliter pani unito) teste Apostolo, quia nõ dijudicat corpus Christi: ac proinde indignè manducans fit reus corporis Christi. Ergò in eodem Christi corpore (sacramentaliter pani unito) ipsam etiam manducationem sacramentalem (indignam illam) versari necessum est.*

184. *Assumptio tota est D. Pauli: cujus sunt hæc verba, v.* 27. Quicunq; manducaverit panem hunc (*de quo Christus: Edite, inquit, Hoc est corpus meum*) aut biberit calicem Domini (*qui est κοινωνία sanguinis Christi: sicut inquit ipse: Bibite ex hoc omnes, Hoc enim est sanguis meus novi Testamenti*) indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini. *v.* 29. & judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus *(& sanguinem)* Domini.

185. *Manifestum igitur crimen falsi commiserunt isti, qui textui huic Apostolico vers.* 27. *inseruerunt particulam* spreti, *hoc modo: Quisquis ederit panem hũc indignè, tenebitur crimine* spreti *corporis Domini. Nam modus reatus exprimitur ab Apostolo, quod consistat* in manducando: *id quod agnoscit & fatetur etiam Ioh. Piscat. (tanta veritatis evidentia est) in germanicis suis Bibliis, in explicatione hujus loci.*

186. *Concludam igitur hanc tractationem verbis concordiæ Witebergens. an.* 36. *quibus disertè affirmatur: Christi verum* „ *corpus, & sanguinem verè offerri, & exhiberi etiam indignis, & ab* „ *ipsis accipi: sed ad judicium. Et articuli sexti Smalcaldici: De sacra-* „ *mento altaris sentimus, panem & vinum in cœna esse verum corpus,* „ *& sanguinem Christi, & non tantùm dari & sumi à piis (bonis) sed* „ *etiam ab impiis (malis) Christianis. Eadem sententia est totius piæ & orthodoxæ antiquitatis.*

12. Finis & 187. *Hactenus exposita est substantia cœnæ Dominicæ, &* nomina-

nominati hoſpites, qui ad cœnam illam invitantur, & admittuntur: uſus S. cœ-
Superest, ut de illius fine, atque uſu *paucis dicamus: Ex quo ſimul* næ.
conſtabit, quomodo præparare ſe homines debeant, ut convivio hoc fruantur ad obtinendam remiſſionem peccatorum & vitam æternam.

188. *Definitio igitur finem ſancti hujus convivii dicit eſſe* Chriſti commemorationem: *quæ vox multa complectitur, ut erudite demonſtrat Dn. Chemnitius, à quo petant, qui volent. S. Paulus ſic explicat, ut jubeat nos* annunciare mortem Domini. *Et in primis etiam huc facit particula illa:* pro vobis. *Corpus, quod* pro vobis *traditur, ſanguis, qui* pro vobis *effunditur in remiſſionem peccatorum.*

189. *Quæ particula* primò *oſtendit latitudinem ſive amplitudinem meriti Chriſti, unde fluit hoc theorema: Quibuſcunque* « *adminiſtratur ſacra cœna pro illis omnibus, (ſed non ſolis) Chriſtus* « *eſt mortuus. Vbi nota, ſanguinem Chriſti in Matth. & Marc. dici effuſum* pro multis, *hoc eſt, pro omnibus hominibus, qui ſanè ſunt* « *multi, vel pro tota hominum multitudine. Confer Daniel.* 12. *v.* 2. *Rom.* 5 *v.* 20. *Qui autem particulariter vocem illam exponũt, vim* « *faciunt toti Evangelio, ut alibi demonſtravimus, in diſputat. de electione.*

190. Secundò *monſtrat fundamentum remiſſionis peccatorum, in quo fides noſtra ſolidè poſſit conſiſtere. Ex quo pius animus talem format ſyllogiſmum practicum: Pro quibus Chriſtus mortuus* « *eſt, illi vera fide meritum ejus debent ſibi applicare, in eoq; confidere.* « *Atqui pro me Chriſtus mortuus eſt: Sic enim in cœna ſacra audio* « *Chriſtum mihi loquentem: Ede, hoc eſt corpus meum: quod eſt* pro « *te traditum. Ergo vera fide meritum ejus mihi debeo applicare, inq; eo confidere. Vix quicquam poteſt efficacius cogitari contra abſolutum* « *Calviniſtarum decretum, & abſolutam in electione particularitatem.*

191. Tertiò *integritatem cœnæ tuetur contra mutilationem Papisticam. Nam pro quibus effusus est sanguis Christi in remissionem peccatorum: illi celebrantes cœnam Dominicam eandem ex poculo sanctæ cœnæ debent bibere, juxta Christi mandatum:* Bibite ex hoc omnes: *Atqui non pro solis sacrificulis missificantibus, sed pro omnibus sacram cœnam sumentibus (neq; tamen solis) effusus est sanguis Christi in remissionem peccatorum. Ergò, &c. Et debet etiam urgeri particula ὡσαύτως similiter, quæ firmiter connectit manducationem & bibitionem.*

192. *In primis autem hic diligenter observandum est, finem sacræ cœnæ fundari in fruitione ipsius corporis & sanguinis Christi: Hic enim fons est, ex quo peccatorum remissio, justitia, & vita æterna ad nos promanat.*

193. *Quare error est intolerabilis Calvinistarum, qui ad solum panem, & vinum remittunt suos discipulos, tanquam sigilla, & pignora corporis & sanguinis Christi: cum ipsi tamen disputent, panem non frangi* pro nobis, *neq; vinum* pro nobis *effundi.*

194. *Quare nos ita concludimus: Applicatio remissionis peccatorum, & ejus obsignatio in sacra cœna, continetur in verbis:* pro vobis, *uti constat: Atqui verba illa:* pro vobis: *referuntur ad ipsum verum corpus Christi, & sanguinem pro nobis traditum & effusum: ut liquet ex ipsis Christi verbis. Quare certum est, applicationem remissionis peccatorum, & ejus obsignationem in sacra cœna, consistere in ipso corpore & sanguine Christi, cum pane & vino à nobis percepto: non autem in solo pane & vino, tanquam signis & figuris, sine etiam sigillis corporis & sanguinis Christi.*

195. Finis enim atq; usus sacramenti ad integrum sacramentum, non ad alteram tantùm ejus partem, nempe rem terrenam, referendus est.

196. *Porrò fines Eucharistiæ considerantur vel respectu Dei, vel hominum.* Respectu Dei *sacra cœna est gratiarum actio, pro*

acceptis

acceptis à Deo beneficiis: Vnde dicta Eucharistia. Quæ gratiarum actio consistit tum in agnitione & confessione nostræ miseriæ, & celebratione divinæ gratiæ. Deinde etiam in nostra obedientia. 1. Dum testamur usu cœnæ, obedire nos mandato Dei, de hoc sacramento piè usurpando. 2. Et velle patienter ferre, exemplo Christi, nostram crucem. 3. Et conservare publicos cœtus Christianorum: quorum vinculum & nervus est sacræ cœnæ celebratio. Vnde manavit nomen συνάξεως. 4. Et ornare nostram professionem vitæ integritate, justitia, & honestate.

197. Respectu hominum *fines cœnæ sunt duplices: Aut enim referuntur ad nos ipsos, aut ad alios, nempe ad proximum.* Respectu nostri *in cœna Dominica fit.* 1. *Applicatio omnium Christi beneficiorum, remissio peccatorum, justitia & vita æterna.* 2. *obsignatio & confirmatio fidei.* 3. *Insitio, & implantatio in corpus Christi, ut simus caro de carne ejus, & os de ossibus ejus.* 4. *Inhabitatio Christi in nobis.* 5. *Est tessera resurrectionis ad vitam æternam. Vnde efficacissimæ peti possunt consolationes in quibusvis afflictionibus.*

198. Respectu proximi *cœnæ Dominicæ finis est, tùm in confessione, tùm in operibus charitatis.*

199. In confessione, *dum usu Eucharistiæ fatemur, nos agnita peccata nostra seriò dolere, & remissionem eorum quærere in obedientia & morte Christi: cujus meritum in sacra cœna nobis offertur, applicatur, & obsignatur, ut reconciliemur Deo & proximo, per peccata à nobis offenso. Deinde quia sumptio S. cœnæ est symbolum, sive argumentum approbatæ à nobis doctrinæ Evangelicæ, quæ publicè sonat in Ecclesia. Discernuntenim sacramenta in suo legitimo usu Ecclesiam ab aliis conventibus, & arctissimo vinculo connectũtur doctrinæ professio, & sacramentorum usus.*

200. In operibus charitatis *erga proximum fines sacræ cœnæ sunt isti.* 1. *Testantur nos ex animo condonare proximo sua*

delicta, sicut Deus nobis remittit peccata nostra. 2. Et juvare velle pro virili pauperes & egenos. 3. Eosq; agnoscere pro fratribus, & membris mystici corporis, cujus caput est Christus. Huc potest accommodari appellatio τῆς ἀγάπης. Et complectitur hic finis omnia officia Christianæ charitatis: Sicut dicitur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

OMnIpotentI Deo sIt LaVs
& GLorIa.

DOCTISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO VIRO,
Dn. M. JOHANNI CRUGERIO, *Theologicè disputaturo, amico suo dilectissimo.*

QUàm benè tu poteris cœlestia verba docere,
Fatidicoq; sono sensus aperire latentes,
Crügeri Aonisinq; Deoq; dicate sacerdos!
Nectareo tibi blanda thymo labra Suada rigavit,
Et Charis Ambrosiæ pavit dulcissima succis;
Nil triviale sonas, sed docta, sed omnia magna
Excultus trifidæ pectus munimine linguæ.
In te cana fides, varioq; exercitus usu
Candor, soligena qui rarior alite nunc est,
Vivit, & integræ pietatis anhelitus ardens.
Ergo Phrygum ut laudes Hector fortissimus olim
Muniit; haud aliter, nec me præsagia fallunt
Tu patrias augebis opes, fundamine nixus
Matthæi, Marci, Lucæ sanctiq; Johannis.
Cœlesti pasces pastoris ovilia fœno
Jessæi, & stygia eripies ex fauce bidentes.

Casparus Finckius Logic. Profess. publicus.

FINIS.

VIRIS

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS:

Dn. DOCTORI MARTINO CHEMNITIO, J. C.
Celsissimi Principis ac Domini,

DN. PHILIPPI II.
DUCIS STETINI POMERANORUM, &c.
CANCELLARIO DIGNISSIMO, MECOENATI SUO COLENDISSIMO:

ET

Dn. DOCTORI DANIELI RUNGIO, J. C.
Illustrissimi Principis ac Domini,

DN. PHILIPPI JULII,
DUCIS STETINI POMERANORUM, &c.
CANCELLARIO FIDELISSIMO, AVUNCULO
SUO OBSERVANTER HONORANDO,

S. P. D.

FLorentissimum Regni Israelitici statum codex sacer describens, Magnifici Dn. Cancellarii, cumq; potissimum, quem Rege Davide gubernante obtinuit, ab ovo,

quod ajunt, repetens, honorificam & laudabilem Consiliariorum, quorum consilia sana & pia ex ipsius audientis
2. Sam. 8. Regis vultu pendẽtia: Rex (quem judicium fecisse, & justitiam omni populo, Scriptura toties deprædicat) minimè sprevit, memoriam retexit; & quidem primas in administratione justitię laudatissima, Deoq; subditisq; piis gratissimâ, *Cancellario Iosaphato* filio Ahilud adscribere nequaquam dedignatur. Hic enim vir sapiens, non ibat, quà populus rudis, quà affectus inordinatus; sed, ut sydera contrarium Mundo iter intendunt: ita hic adversus opinionem animorum perforatorum & vesanæ plebeculæ: animum suum ità componebat, consilia eò dirigebat, ne minimum, quod vel voluntati divinæ reluctaretur, vel Patriæ pernicitati obtentui esset, in nervum erumpere posset. Haud postremum argumentum compositæ mẽtis in hoc viro fuit, potuisse inter tot bellorum motus vel lymphaticis metibus affines consistere; & quando, quidq;, ubi, & quemadmodum agi debeat, disponere. Aliud enim est dignitates & jura nosse: aliud ad agenda ire, non ruere: aliud malè feriatorum hominum & turbę furentis impetus refrænare.

Epist. 19. Hæc est apud *Sophos* toties decantata felicitas gentium! in quibus non poterat esse potentior, nisi melior, teste gravissimo Seneca.

Amplissima patet viritutis area, ubi locorum etiamnum hodiè talis consuetudo sanorum omnium calculo approbatissima viget. Et profectò (affectus non sustinet moram!) hanc felicitatẽ nostræ Patriæ hoc maximè tempore familiarem dicere ausim. Non diffiteor, ratio mihi constat impensæ. Non possum asseverare, in Pomerania tantam probatæ virtutis consuetudinem semper observari, nî Patriæ nimium amans linguarium mihi dari cupiam.

Nec

Nec ideò jam loquor, fataq; Patriæ refero, ut ejus laudes exequar; temerè & ἀπαιδεύτως, id hoc in loco susciperetur officiũ. Verùm quidnam felicitatis in Pomerania putem, exponam.

Politicus politicæ justitiæ & honestæ virtutis ordo (satis tamen libramento recto, per Dei gratiam, succedés) transeat. Ecclesiasticus & justitiæ divinæ status præsto sit; hic, τῷ θεῷ δόξα, perstat felix & fixus. FELIX; qui invariatæ pietatis & fidei in utraq; aula habet Cãcellarios, directores Consiliorum Politicorum hujusmodi, quæ ad emunitam pacem Ecclesiasticam facere, quæq; Ecclesiarum facies diffundere præpollent. Fixus; qui immota est religionis puritas, & constantissima fidei ὀρθοδοξία, quæ non tantùm. Ducum gratiâ, ceu fulcimento laudatissimæ Zelotypiæ suffulta fovetur & nutritur; Sed Consiliariorum, & vestra, viri Amplissimi, qui in nostra Regione genuini *Iosaphati* estis successores, pietate & industria custoditur. Hunc verò pietatis affectum & ὀρθοδοξίας Zelum, qui sanè per exercitium Christianæ vitæ apud vos incrementa sumsit, potissimùm cum lacte materno ex sanguine *Orthodoxorum Theologorũ prognati utriq;* hausistis & imbibistis. Et te jam primùm compello, vir Magnifice, Dn. Doctor Chemniti, proles incomparabilis illius Theologi p. m. Doct. Martini Chemnitii, de Ecclesia Dei adeo usq; dum viveret, benè meriti, ut subdubitem, an uberiores fructus vivente eo, quàm nũc ἐν ἁγιοῖς versante, Ecclesia ex ejus indefessa diligentia, ingenii acrimonia, judiciiq; dexteritate capessere potuerit.

Nec parum Ecclesiæ divinæ profuit, nec minus utiliter præfuit pater tuus Doctor Jacobus Rungius p. m. vir Amplissime Dn. Doctor Rungi, avus meus maternus, qui in Pomerania occidentali Episcopus generalis toti patriæ nostræ ὀρθοδοξίαν divinitus datam sartã tectamq; omni co-

natu conſervavit; & hereſeωn minutatim irrepentium varios acceſſus ſummâ induſtriâ prohibuit.

Arbitror vos ſatis intelligere quónam cogitem. Gratulari cupio vobis de dignitate Ampliſſima; maximè verò patriæ de felicitate Eccleſiaſtica. Hujus mei inſtituti prægnantes adduxi cauſas, quibus addo & hanc.

De benefic. lib. 2. cap. 5.

Senecæ pronunciatum eſt: Injuriæ aulicorum præcipites, lenta beneficia ſunt. Veſtræ verò injuriæ nullæ, beneficia & officia prompta, nõ tantùm erga quoſvis, ſed inprimis eos, qui ſacerdotalis ordinis ſunt (cui & me, meosq; annumero) proſtant longè plurima. Quamobrem cum Beneficium & gratiæ relatio, ultrò citroque ire debeat: à me quoq; pro beneficiis veſtris gratias ad vos redire par eſt: quæ utinam vel correſpondere veſtris beneficiis, vel ſufficere poſſent. Sed eſto: deficiant in reipſa, ut certè deficiunt; attamen hanc diſputationem Theologicam Calvinianorum erroneo ſpiritui oppoſitam, quam ſub Celeberrimi Theologi Doctoris Balthaſaris Mentzeri, præceptoris mei perpetuùm colendi, præſidio defendendam ſuſcepi vobis offero, quod chartaceum munuſculum, tanquam obſervantiæ meæ indubitatũ σύμβολον de animo meo gratiſſimo & obſervantiſſimo rectiùs teſtabitur. Ultimùm viri Magnifici, ut reliquis officiis & hoc addere beneficiũ, hoccemeum munus levidenſe benevola fronte ſuſcipere, mea ſtudia promovere, mihiq; favere haud gravemini, ſummà cum animi obſervantia precor & oro. Valete.

V. Magnificentiarum

Obſervantiſſimus

Fridericus Faber Reſpond.

Coll. diss. A. 201, misc. 25